BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVI
B
17
NAPOLI

DE
LEGIBVS MOSAICIS
CIRCA
SACERDOTES
VITIO CORPORIS LABORANTES
IN
ECCLESIA CHRISTIANA
EMENDATIS

LIBER SINGVLARIS

AVCTORE
IOANNE RVDOLPHO KIESLINGIO
S. S. THEOL. D. ET P. P. O

LIPSIAE
SVMTIBVS CAROL. LVDWIG. IACOBI
MDCCLV

ILLVSTRISSIMO
ATQVE
EXCELLENTISSIMO
S. R. I. COMITI
AC
DOMINO
CONSILIARIO INTIMO
ATQVE
PRAESIDI
PERILLVSTRI
ATQVE
EXCELLENTISSIMO VIRO
DOMINO
VICE - PRAESIDI
NEC NON
VIRIS
VENERABILIBVS, MAGNIFICIS
AC DOCTISSIMIS SANCTIORIS
QVI DRESDAE EST
SENATVS
ASSESSORIBVS GRAVISSIMIS

DOMINIS SVIS
INDVLGENTISSIMIS

Google

VIRI
PERILLVSTRES
ATQVE
EXCELLENTISSIMI
VIRI
VENERABILES
AC
MAGNIFICI

Amplam faciam laborum mercedem, ſi VOBIS meum, de Eccleſiae noſtrae commodis, et rei litterariae incrementis, bene merendi ſtudium hacce tenui ſcriptione probauero. Quae cogitatio, mea ſententia, ſola eſt honeſta, pia, et lucri neſcia. His

inductus argumentis, eam ingreſſus ſum rationem, vt VOBIS, qui res ſacras et litterarias ſapienti moderamini conſilio, eaſdemque feliciter promouetis, hunc inſcriberem libellum. Quod conſilium, haud temere initum, nouum ex argumenti tractatione recipit robur, ſtimulumque.

Etenim haec, quae dilui, argumenta diſciplinam Eccleſiae Chriſtianae proxime tangunt. Operae duxi pretium, inſtituta tam antiquioris Eccleſiae Iudaicae, quam recentioris Chriſtianae, circa ſacerdotes, vitio corporis laborantes, obuia indagare penitius, eademque cum facie noſtrae Eccleſiae conferre diligentius. Conſideraturus enim has leges diuinas, intellexi, multa in illis contineri rei capita, quae, vt ſummi horum imperatorum ſtatoris vindicetur

tur

tur ſanctitas, indigent explicatione. Contemplatus altero ex latere ciuitatis Chriſtianae regulas, vidi multa inſtituta, quae modo in laude ponenda, modo etiam emendata, ſunt. Quam lucubrationem, hactenus ab aliis praeteritam, ſcriptione iudicavi dignam.

Certus tandem ſum, VOBIS hoc meae in VOS pietatis documentum haud ingratum eſſe futurum, quia ab illis, quibus Regio nomine res Academicas tractandas demandaſtis, iure diligentiae ſtudiique poſtulatis monumenta. In tanta vero copia virorum, qui crebrius opera exaſciata in lucem mittunt, turpiſſimum profecto foret, me, in hac illuſtri bonarum artium mercatura, eſſe inertem, otioſum, et rerum negligentem. Quam leuidenſem commentationem, meae induſtriae

atque obſequii teſſeram, vt benigne accipiatis, decenter rogo, ſummum precatus Numen, vt Eccleſia veſtris conſiliis ſarta maneat atque tecta! Annuat ſapientiſſimus huius vniuerſi auctor meis votis deſideriiſque, pro VESTRA ſalute et incolumitate largius effuſis, qui pio deuotoque animo futurus ſum

TANTORVM NOMINVM

Dab. Lipſiae die X. Iul.
MDCCLV

obſequioſiſſimus cultor
IO. RVD. KIESLINGIVS

CONSPECTVS LIBELLI

SECTIO I

De Legibus Moſaicis, circa Sacerdotes corpore vitiatos, diuinitus latis

§. I

Agitur, de Eccleſia Patriarchali in formam redacta. p. 5-7. §. II. de Ordine Sacerdotali in gente Hebraea. p. 7-9. §. III. de familia Aronis. p. 10-12. §. IV. de cauſis huius electionis. p. 12-16. §. V. de legibus diuinis Sacerdotes vitiatos attinentibus. p. 16. 17. §. VI. de integritate corporis apud Sacerdotes. p. 18-20. §. VII. de eodem argu-

mento. p. 20-24. §. VIII. de eodem argumento. p. 24. 25. §. IX. de integritate corporis Sacerdotum apud Gentiles. p. 25 - 28. §. X. de explicatione legum diuinarum. p. 28 - 31. §. XI. de eodem argumento. p. 31 - 35. §. XII. de vitiis corporis in Sacerdotibus. p. 35. 36. §. XIII. de eodem argumento. 37 - 40. §. XIV. de eodem argumento. p. 40 - 42. §. XV. de monſtroſis Sacerdotum membris. p. 42 - 45. §. XVI. de eodem argumento. p. 45. 46. §. XVII. de eodem argumento. p. 47 - 50. §. XVIII. de reliquis membris vitiatis. p. 50. 51. §. XIX. de eodem argumento. p. 52 - 54. §. XX. de eadem tractatione. p. 54 - 56. §. XXI. de harum legum aequitate diſſeritur. p. 56 - 58. §. XXII. de Sacerdotibus temere ſe ingerentibus. p. 59. 60. §. XXIII. de Sacerdotibus vitioſis alendis. pag. 61 - 63. §. XXIV. de acceſſu Sacerdotibus vitiatis ad velum denegato. p. 63 - 67. §. XXV. Meditatio prima ad has leges adfertur. p. 67 - 69. §. XXVI.

Medi-

Meditatio protrahitur. p. 69 - 71. §. XXVII. Meditatio ſecunda proponitur. p. 71 - 73. §. XXVIII. Meditatio tertia adducitur. p. 73 - 75. § XXIX. Meditatio quarta. p. 76 - 78. §. XXX. de animi in Sacerdotibus indole. p. 78 - 80. §. XXXI. quinta Meditatio. p. 81. 82. §. XXXII. ſexta Meditatio p. 83 - 85. §. XXXIII. ſeptima Meditatio. p. 86. 87. §. XXXIV. Meditatio octaua. p. 88 - 91. §. XXXV. Meditatio nona. p. 92 - 94.

SECTIO II

De Legibus Moſaicis, circa Sacerdotes vitiatos, in prima Chriſtiana Eccleſia emendatis

§. I

Differitur de Miniſterio N. T. Sacro. p. 95 - 98. §. II. de Ratione prima huius temperamenti. pag. 99 - 101. §. III. de eodem argumento ſermo inſtituitur. p. 102 - 104.

§. IV.

§. IV. de ſecunda meditatione. pag. 104-107. §. V. de tertia Temperamenti ratione. p. 108. 109. §. VI. de quarta cauſa. p. 110-112. §. VII. de quinta huius mutationis cauſa. p. 113-115. §. VIII. de ſexta mutationis cauſa agitur. p. 115-119. §. IX. de miniſtrorum S. virtutibus. pag. 120-128. §. X. de conſtitutionibus Apoſtolicis integritatem Sacerdotum attinentibus. p. 129-132. §. XI. de canonibus Apoſtolicis, de hoc argumento diſputantibus. pag. 132. 133. §. XII. de explicatione horum canonum. p. 133-136. §. XIII. de eodem argumento. p. 136-139. §. XIV. de Temperamento horum canonum. p. 140-144. §. XV. de Sacerdotibus vitiatis iuxta Concilium Nicaenum I. p. 144-146. §. XVI. de Clericis maleſanis, et obſeſſis. p. 147-149. §. XVII. de clericis circumciſis et exſectis a Gentilibus. p. 149. 150. §. XVIII. de clericis a Iudaeis circumciſis. p. 150-152. §. XIX. de eodem argumento. p. 152-158. §. XX. de libere et ſponte exſectis. p. 159-162.

§. XXI.

§. XXI. de eodem argumento. pag. 163. 164. §. XXII. de Eunuchiſmo Origenis diſſeritur. p. 164-168. §. XXIII. de Leontii Antiocheni caſtratione agitur. p. 168-172. §. XXIV. de Clericis caſu, morbo, et voluntate vitiatis. p. 173. §. XXV. de vitio corporis rite introſpiciendo. p. 174. 175. §. XXVI. de canonibus eam in rem definitis. p. 176-178. §. XXVII. de horum canonum ſententia diſputatur. p. 179-181. §. XXVIII. de Clericis, vi et iniuria corruptis. pag. 181-184. §. XXIX. de confeſſoribus mutilatis, et in ordinem ſacrum adoptatis. p. 185. 186. §. XXX. de eodem argumento. p. 187-189. §. XXXI. de Clericis libere vitiatis. p. 190. 191. §. XXXII. de Ammonio vitiato diſputatur. p. 191-193. §. XXXIII. Ammonii Anachoretae factum diiudicatur. p. 193. 194. §. XXXIV. Leges recentioris Eccleſiae, de corporis deformitate, adferuntur. p. 195. 196. §. XXXV. Gelaſii Pontificis decreta illuſtrantur. p. 197-199. §. XXXVI. Haec tractatio protrahitur. pag. 199.

199-201. §. XXXVII. Alia iuris canonici decreta adferuntur. p. 201-204. §. XXXVIII. de illis, qui corporis vitiis laborant, diſſeritur. pag. 204-208. §. XXXIX. Romanenſium perſuaſio, de ordine clericorum iuxta leges Moſaicas inſtituendo, refellitur. p. 209-212. §. XL. Quae commoda in hac Romanenſium opinione lateant, oſtenditur. p. 213-216. §. XLI. Hoc argumentum vlterius diluitur. p. 216-219. §. XLII. Vtrum Pontifices huius legis tenaces fuerint, diſquiritur, et, de SERGIO II. Oſporci dicto, diſputatur. p. 219-221. §. XLIII. Sententia, de his antiquioris Eccleſiae Chriſtianae inſtitutis, pronuntiatur. p. 222-224.

SECTIO

SECTIO III

De vero et ſobrio Legum Moſaicarum, circa Miniſtros ſacros corporis maculis laborantes, in Eccleſia Lutherana, vſu

§. I

Demonſtratur, magnam eſſe, Lutheranos inter et Romanenſes, de ordine S. diſſenſionem. p. 225-228. §. II. Eccleſiam Lutheranam, ſobriam, de Miniſterio S., tenere ſententiam. p. 228-230. §. III. idem argumentum. p. 230-232. §. IV. eadem ſiſtitur tractatio. p. 233. 234. §. V. Examinatur corporis debilitas in miniſtro ſacro eligendo. pag. 234-236. §. VI. de partiali corporis debilitate diſputatur. p. 237-241. §. VII. de eodem argumento. pag. 241-243. §. VIII. de eodem diſſeritur argumento. p. 244. 245. §. IX. diſquiritur, vtrum miniſtri infirmi remouendi ſint. p. 245-247. §. X. argu-

argumentum diligentius excutitur. p. 247. 248. §. XI. explicantur inſigniores corporis defectus. pag. 248-251. §. XII. eadem tractatio protrahitur. p. 251-253. §. XIII. de corporis deformitate diſputatur. p. 253-256. §. XIV. Plus in miniſtro ſacro valere animi indolem, quam corporis formam, exponitur. p. 256-258. §. XV. dignitas miniſtri Eccleſiae ſuccincte commendatur. p. 258-262. §. XVI. Finis commentationi imponitur. p. 263. 264.

SERMO ADITIALIS

Quousque mens mea poteſt reſpicere, et ſpatium praeteriti temporis recordari vltimum, inde vsque repetens, deprehendo, nomen ſacerdotum, ſiue gentilium ſiue gentis ſanctioris ſpectes inſtituta, ſemper ſanctum fuiſſe atque religioſum. Nemo forte rerum aliquando in orbe geſtarum adeo expers eſt, vt neſciat, magnam viris, qui res ſacras tractarunt, habitam eſſe dignitatem, Regibus, Principibusque non ſecundam. Si vero a gentilium moribus vſu receptis, quos in praeſentiarum attingere non volupe eſt, receſſero et ſacerdotes tempore Eccleſiae Patriarchalis conſiderauero, res plana eſt atque expedita, illos non ſingularem et a reliquis hominibus diſtinctum conſtituiſſe ordinem, neque certas, in obeundo munere ſacro, his viris praeſcriptas fuiſſe leges. Non vacat hic loci Grotii, Bocharti, Seldeni, aliorumque auctorum, explorare ſententiam,

qua dignitatem ſacerdotalem paulo arctius ad primogenitos familiae reſtringunt, quorum opiniones, quantum fieri potuit, componere anniſus eſt ven. Io. Gottl. Carpzovius *). Innituntur laudati viri paulo preſſius effato Geneſ. Cap. XLIX. v. 3. de Rubene, primogenito, ob nefanda ſcelera, dignitate ſacerdotali exuto. Illud autem ipſum oraculum oppido dextre, de benedictione, in primogenitos tanquam ſtirpes et capita familiae potiſſimum conferenda, interpretatus eſt Io. Spencerus **). Certe non excluduntur reliqui filii a ſacrificiis Deo offerendis, et rebus ſacris faciendis, quod exemplum Caini, et Abelis luculenter docet. Gen. IV. 3. Liberum illo temporis tractu fuit reliquis familiae filiis, rebus defungi ſacris. Suffragium mihi in tam luculento argumento, exemplis bene multis confirmato, praebent Io. Saubertus ***) et Wolfg. Fran-

*) in Apparatu Hiſtorico-Critico ad Antiquitt. Hebraeor. Lib. I. Cap. I. p. 1. ſeq.

**) de Legibus Hebraeor. Ritualib. Lib. I. Sect. II. Cap. VI. de Reſtrictione ſacror. ad certas perſonas. p. 209. ſeq.

***) Opp. poſthum. Tract. de Sacerdotio Ebraeorum Cap. I. p. 291. Part. I.

FRANTIVS *). Quodſi vero largiar, us ſacerdotii in domo exercendi iliis natu maioribus fuiſſe relictum, illamque conſuetudinem ad Moſis vsque aetatem inter gentem ſanctiorem obſeruatam; certum tamen eſt ac ratum, nullas certas, quibus obſtricti fuerunt ſacerdotes, regulas a Summo Numine tunc temporis eſſe definitas. Nullus extitit hominum ordo, cui hoc inſigne publice docendi, et ſacrificia mactandi, Deoque immolandi, demandatum eſſet munus. Nulla euulgata erat, de delectu hominum in miniſterium ſacrum adoptandorum inſtituendo, lex. Nullum adfuit, de ſacerdotum dotibus, virtutibus, nec non corporis praeſtantia et amictu, mandatum. Nulla praeſcripta de officiis, in re ſacra peragendis, norma. Libera potius hoc aeuo fuit Dei rerum cum populo ſuo gerendarum ratio, donec illud illuceſceret tempus, quo parua et diſſeminata Eccleſia Patriarchalis certum in ordinem ac formam eſſet redigenda et illuſtrior inter gentes reddenda. Huius autem

A 2 con-

*) in Schola Sacrificior. Patriarchal. S. Diſp. VIII. §. LXVII. p. 196.

conſtituti ordinis ſacerdotalis natales in exitum Iſraelitarum ex Aegypto incidunt, quo tempore definitas leges, de hoc ordine, et rebus ſacris tractandis, per Moſem pronuntiauit Deus. Quam mihi in hocce libello ſumſi, prouincia, non in vniverſum ordinem ſacerdotum; ſed inprimis illa attingit mandata, quae ſacerdotum, in gente Iudaica, munditiem et corporis reſpiciunt integritatem. Meas autem meditationes, de hoc argumento in medium proferendas, in certam aliquam transfundam formam, quo ipſa tractatio eo plenior euadat atque luculentior. Explicabo *primum* legum Moſaicarum, de ſacerdotibus vitio corporis laborantibus, vim et poteſtatem. Exponam *vlterius* harum legum Moſaicarum, in prima Eccleſia Chriſtiana, temperamentum. Demonſtrabo *tandem*, qui ſit, in noſtra Eccleſia emendatiore, earumdem regulalum valor. Quam operam B. Lector beneuolo vt diiudicet animo, perhumaniter rogo. Dabam Lipſiae, e Muſeo. Menſe. Iun.

M DCC LV.

SECTIO

SECTIO PRIMA

DE

LEGIBVS MOSAICIS CIRCA SACERDOTES CORPORE VITIATOS DIVINITVS LATIS

---

§. I.

De Eccleſia Patriarchali emendata, et in formam redacta, diſputatur.

Eccleſia, quae appellatur Patriarchalis, duo viguit annorum millia, ſuis vſa ritibus, a Summo Numine primis, qui pietate et diuiniore cultu inclaruerunt, proceribus ore, dubio procul, demandatis, et per manus quaſi illorum poſteris traditis. Quae fuerit huius, quam dixi, Eccleſiae facies, iam ſtilo admodum prolixo perſequi mearum non eſt partium. Ea vero opera egregie defuncti ſunt

Io. Henr. Heideggervs*), Boldvcvs**), Wolfg. Frantivs***), Millivs****) alii non lenti nominis viri. Facta vero miraculoſa, nec non glorioſa populi Iſraelitici ex Aegypto redemtione, ex promiſſo diuino Abrahamo dato, certiſſime exſpectanda, Gen. XV. 13. 14. iam Respublica Iudaeorum ſtabilienda, et certis legibus, tum cultum ſacrum, cum ipſum reipublicae ſtatum, attingentibus, veluti arctiſſimis munienda erat vinculis. Rudis et incultus populus Aegyptiorum ſuperſtitionibus per aliquot annorum centurias expoſitus, iam ſanctiore Deum colendi ratione erat inſtruendus, et ad verum a Deo praeſcriptum cultum formandus. Exſtirpanda erant Aegyptiorum, quae viderat, ſuperſtitioſi cultus ſimulacra. Euellendae ex ipſius animis turpiſſimae ſuperſtitionis, quam alebant Aegyptii, illecebrae. Sanior demum, de Deo rebusque diuinis, ratio illius animis ingerenda. Delituerat hactenus gens Deo cara in tyrocinio, et denſiſſimas inter profani Aegyptiorum cultus tenebras, e quibus nunc educenda in lucem, et ad ſolidiorem rerum diuinarum cognitionem typorum vſu erat prouehenda. Non ſine ſale de hoc argumento ita diſputat Bernh. Seb. Cremervs*****): *Innu-*

*) Hiſtoria Eccleſ. Patriarchalis.

**) de Eccleſia Dei ante legem.

***) Commemorata Schola Sacrific. Patriarchal. ſacra.

****) Miſcell. S. Obſ. I. ad Ieſ. LIV. p. 1. ſeq.

*****) Typolog. Praef. de Typ. vſu. p. 2.

Innumerae leges dantur, quae, ſi typicae non ſunt, non tantum maximam partem inutiles et abſurdae erunt, ſed et absque myſteriis ſalutis litera et cortex, absque ſpiritu atque nucleo. Ex hisce praedicatio Ieſu et Apoſtolorum confirmari, ſalutisque myſteria illuſtrari poſſunt. Has res veteres credentes fidei oculo contemplari debuerunt, nec dubitari poteſt, quin hoc conueniens fuerit. Tum, quia puerilis illa aetas aliam inſtitutionis non ferebat methodum, tum, vt refractariis ac impiis tecta manerent, ne ſacroſancta religionis myſteria contemnerentur, aut profanarentur, tum denique, vt ſub illis inuolucris veritates quodam modo obtegerentur, vt eo maiori deſiderio ad illarum anhelarent reſerationem, et Noui Teſtamenti tempora calidis votis exſpectarent. Quae curatior penitiorque informatio ex legibus diuinitus datis haurienda, et opera Sacerdotum, eorumque inſtitutione cum Hebraeis ineunda, addiſcenda erat diligentius. Bene igitur ac ſapienter id conſilii iniit Deus; vt ordinem in gente Hebraea conſtitueret ſacrum, cui totum religionis et cultus diuini negotium eſſet committendum.

§. II.

De Ordine ſacerdotali, in Gente Hebraea, ad certam redacto tribum diſſeritur.

Conſilium Dei, de ſanctiore cultu inter Hebraeos inſtaurando, conſideraturus omnium

ſapientiſſimum, duo in cenſum veniunt rei capita, meditatione digna. Primum eſt, quo ſacri muneris prouincia tribui Leui et familiae Aronis, excluſis reliquis tribubus, fuit adſcripta. Sacerdotes apud Graecos maximo in honore fuiſſe habitos, et munera ſacra apud illos aeque ac apud Iudaeos certis quibusdam familiis alligata, vt Aceſtoridarum apud Argos, et Eteobutadarum apud Athenienſes, teſtes ſunt Io. POTTERVS *) et LACKEMACHERVS **). Quin et, Aegyptios eamdem tenuiſſe conſuetudinem, conſtat. Nollem tamen hanc inſtitutionem, a Deo populo Iſraelitico demandatam, ab Aegyptiorum repetere moribus. Res ceteroquin ſacris ex tabulis eſt cognita ſatis atque perſpecta, totum ius Sacerdotii in populo Iſraelitico in familiam Aroniticam eſſe translatum. Nobilis eſt inter Criticos quaeſtio, cur Deus potiſſimum familiam Aronis, nec non tribum Leui, ex qua ortum traxerat Aron, elegerit, atque Pontifices Maximos ex familia Aronis, reliquos autem in vniuerſum Leuitas e tribu Leui, ſeligendos conſtituerit? Non ſatis expedita eſt haec ratio, quae valde exercuit Criticos, cauſam huius diuini conſilii indagantes. Alii huius

*) Archaeologia Graec. Lib. I. Cap. XII. p. 65. et Lib. II. Cap. III. p. 214. ſeq. Theſaur. Graec. Antiquitt. Vol. XII.

**) in Antiquitatt. Graecor. Sacr. p. 268.

huius delectus cauſam in eo ponunt, quod tribus Leui a Beiamine numerata conſtituit decimam Gen. XLVI. 8. 9. et XLIX. Decimas autem Deo fuiſſe ſacras, certum eſt. Hisce rationibus Deum commotum, ius ſacerdotii huic tribui vindicaſſe, bene multi arbitrantur, nec inepte rem diiudicant. Aliam alii rerum Hebraicarum indagatores adſerunt cauſam, in eo ſitam, quod tribus Leui, maximam qua partem, ſe non crimine Moſcholatriae in deſerto commaculaſſet Exod. XXXII. 27. ſeq. Certe maxime credibile eſt, pleroſque ſacerdotes, Levitasque, ſibimetipſis a tam nefando temperaſſe facinore, in quod aegre conſenſerat Aron, Sacerdotum Princeps. Augetur huius opinionis veritas, quia Moſes vindictam tam horrendi ſceleris a populo ſumendam demandauit filiis Leui. Depraedicat inſuper Moſes illorum pietatem, et hoc encomio teſtatur, hanc tribum veri cultus adhuc fuiſſe tenacem. Difficile eſt in re tam ambigua certam definire ſententiam, quam cum Melch. Leidekkero *) et Savberto **) in medio omnino relinquendam eſſe ſtatuo. Satis eſt, religionis prouinciam huic tribui tam arctis legibus fuiſſe adſcriptam, vt alii, qui ad munera ſacra peragenda temere accederent, ſummis adficerentur poenis, quod ex dictis ſacris Leu. XXII.

*) de Republ. Hebr. Lib. X. Cap. III. p. 587.
**) de Sacerdotio Ebraeor. Cap. II. p. 293.

Num. III. 4. 5. 6. et Cap. VII. verboſius exponit FRANTIVS *).

§. III.

De familia Aronis ad Sacerdotium diuinitus deſignata agitur.

Diſputatur vlterius de cauſa, ob quam Deus familiam Aronis dignitate ſumma ornarit. Non deſunt viris Criticis rationes, quibus hoc ſingulare diuini Numinis beneficium erga familiam Aroniticam depraedicare ſolent, quibus prolixius recenſendis iam ſuperſedeo. Commemoranda ſaltem mihi eſt IOSEPHI **) de familia Aronis Sacerdotii honore, et munere aucta, ſententia, qua ita ſtatuit: Ἀαρὼν δια τε το γενος, και την προφητειαν, και την ἀρετην ταδελφȣ, προς την τιμην ἁπαντων ἀξιολογωτερος. *Aaron propter genus et prophetiam, ſimul ac virtutem fratris optime omnium hanc dignitatem commeruit.* Non inficior, Aronem diuino ex oraculo Pontificem maximum eſſe deſignatum, eamdemque dignitatem in eius familiam collatam, ſed hoc gratiae diuinae monumentum nollem ego, cum IOSEPHO, meritis ipſius fratris, Moſis nimirum, ſolum adſcribere. Exod. XXVIII. Cauſam huius beneficii ego ponerem in eo momento, quod Aron, tanquam primogenitus ſuae familiae, pro-

*) Schola Sacrificior. Patriarch. S. Diſput. VIII. §. LXXII. p. 197.

**) Op. Tom. I. Antiquitt. Iudaic. Lib. III. Cap. VIII. p. 117. Edit. Hudſon.

procul dubio iam antea ſuâ in domo hoc functus erat ſacerdotis munere. Exod. VI. 22. Quam ſi admiſeris rationem, Aroni, eiusdemque familiae, ex inſtitutis Patriarchalibus, ſacrum tradebatur munus. Conſtat, quod obelo neutiquam notandum eſt, Iudaeos fidiſſimos huius legis, de ſacerdotio familiae Aroniticae ſancitae, fuiſſe cuſtodes, quod contra *Apionem*, religionis Iudaicae deriſorem, his verbis demonſtrat Iosephus*): *Non enim tantum ab initio his rebus viros optimos, et in Dei cultu aſſiduos, praefecere, ſed et curam habuere, vt genus ſacerdotum purum ſemper impermixtumque permaneret. Debet enim, quisquis ſacerdotio fungitur, ex populari ſua coniuge liberos quaerere, neque ad pecunias aut honores reſpicere alios, ſed genus exquirere, ſecundum antiquam ſucceſſionem, multis probatum teſtimoniis. Et haec obſeruamus non in Iudaea tantum, ſed vbicunque pars aliqua eſt de noſtra gente, ibi obſeruatur ſollicite nuptiarum ſacerdotalium regula: puta in Aegypto, in Babylone, et ſic vbi terrarum praeterea ſparſi ſunt noſtri ſacerdotes.* Laudi Iudaeis cedit haec conſtans huius regulae cuſtodia, quae tamen, hac triſtiſſima rerum Iudaicarum facie, tantam paſſa eſt iacturam, vt Iudaei veram Aroniticae familiae progeniem, ſuis ex annalibus, valde corruptis et propemodum deperditis, vix ac ne vix quidem reſtituere valeant. Qua ipſa iactura ſacerdotii Veteris

*) Op. Tom. II. Lib. I. contra Apionem. p. 1332.

teris Teſtamenti dignitas oppido venit in diſcrimen. Nec praeſtantia ſolum ſacerdotii imminuta eſt, ſed cultus etiam ſacri excellentia: quia maxima religionis munera familiae Aronis erant adſcripta, nec ab aliis hominibus gregariis peragenda. Ingens hac ex iactura ad veritatem religionis Chriſtianae arctius muniendam profluit argumentum, iam ſilentio inuoluendum. Si enim cultus Moſaicus ſe ſua adhuc auctoritate ſuſtentare debeat, proferant, quaeſo, Iudaei ſacerdotes Aronis familia ortos, quos penes cultus erat religioſus? Vſus iam eſt hoc argumento S. CHRYSOSTOMVS *).

§. IV.

Cauſae huius arctioris regulae diiudicantur.

Alterum, quod in delectu ordinis ſacerdotalis occurrit, momentum ad rationes redit, quae impulerint Deum, vt, poſt habitis viris ex aliis tribubus et familiis deſignandis, tribui potiſſimum Leui et genti Aroniticae ſacra perficienda demandarit. Non inepta, ſed ingenioſa ac limata, mihi videtur Io. SPENCERI **) opinio, qua ſtatuit, ſapientiſſimum cultus religioſi inſtauratorem eo conſilio vni tantum tribui ac familiae res ſacras tractandas tradidiſſe, vt idololatriae forte inde oriundae poneretur

*) Opp. Tom. I. contr. Iud. Demonſtrat. VI. p. 658. edit. Montfauc.

**) de Legib. Hebr. Ritualib. Lib. I. Cap. IV. p. 137. ſeq.

neretur obex. Si enim ſacra a quouis homine facienda, ſacrificia offerenda, et reliqua religionis ſtudia fuiſſent praeſtanda, periculum profeсto erat, ne noua clanculum introduceretur idololatria, vel ſaltem publicus, et a Deo praeſcriptus, rebus immundis commacularetur cultus. Confirmatur huius ſententiae veritas ſeueris, quas Deus ſanxit conſtituitque, legibus in illos, qui ſacrificia, ſua auctoritate et arbitrio, mactarent, illaque extra ſanctiſſimum locum, opera ſacerdotum non vſi, temere offerrent. Exſcindendi erant iſti homines, tanquam idololatrae, et cultus peregrini inſtauratores. Leuit. XVII. 4. 5. ſeq. Nemo non ſcit, quam grauem ſenſerit vindictam poenamque rex *Uſia*, ſe rebus ſacris nefarie ingerens, prout tabulae docent ſacrae. II. Chronic. XXVI. v. 16. ſeq. Quam proinde adhibuerint ſollicitudinem cultus religioſi praeſules, ne religio conſpurcaretur macula, aut profanaretur, documento eſt Manasses, Ioiadae Pontificis M. filius admodum degener, qui cum Sanebullati, Horonitae, filia, auctore Flav. Iosepho *), inierat matrimonium. Amittebat autem ob peregrinam,

*) Opp. Tom. I. Antiquitt. Iudaic. Lib. XI. Cap. VIII. p. 501. Magna circa hanc Iosephi commemorationem enata eſt concertatio, eo inprimis nomine, quia Ioſephus illum appellat filium Iaddvae, qui ſerius vixit. Traditur autem Nehem. XIII. v. 3. ſeq. Nehemiam repurgaſſe ſacra, et mulieres Iudaeorum peregrinas expuliſſe. Pridosivs in Hiſtor. V. et

nam, eamque Samaritanam coniugem, ſuam in gente Iudaica, qua iure natalium fruebatur, ſacerdotii dignitatem, ne, ſi admitteretur, religio ſtabiliretur profana. Pateſcit hocce ex teſtimonio, Iudaeos ſedulam egiſſe curam, ne cultus diuinus ſacerdotum vitio contaminaretur, quod facile accidiſſet, ſi cuilibet homini ſacra facere licuiſſet. His vero periculis incommodisque lege, diuinitus data, lapis ponebatur frontatus. Nouum haec Spenceri ſententia recipit veritatis robur, ſi nunc ipſum cultum ſpectes Leuiticum. Illa ipſa, quam modo dixi, verum praepotensque Numen colendi ratio, in variis ſacrificiis, oblationibus, et aliis pietatis religionisque ſtudiis obuia, ita omnino erat comparata, vt vel minimum vitium, in re ſacra admiſſum, eamdem profanam redderet ac impuram. Facile vero ex inſcitia aut leuitate hominum accidere poterat, vt cultui ſacro attraheretur labes, quare ſatius erat, hanc ſacrorum publicorum curam certis tradere hominibus, qui has regulas a teneris inde vnguiculis bene didicerant. Exemplum Nadabi, et Abihu, Sacerdotum ignem alienum adferentium, ſed igne

N. T. Part. I. Lib. VI. p. 521. ſeq. ſolidius demonſtrauit, hunc Manaſſem fuiſſe filium Ioiadae Pontificis M. qui circa hanc vixit aetatem. Planum hic doctiſſimus auctor fecit, hanc hiſtoriam minime gentium in tempora Iadduae incidiſſe. Sed haec res ad noſtros non ſpectat corymbos.

igne coeleſti conſumtorum luculenter Iudaeos docebat, qua cura ac prouidentia religionis negotia eſſent pertractanda, neutiquam autem cuiuis homini gregario, ac officii religioſi ignaro, committenda. Nec omittendum eſt, totum religionis Leuiticae ſtudium perquam amplis caerimoniis et ritibus, a Sacerdotibus et Leuitis rite tenendis, fuiſſe auctum, vt non facile quiuis ad ſolidiorem horum rituum perveniret notitiam. Longo potius vſu ac privata inſtitutione erat opus, futuros aliquando ſacerdotes Leuitasque ita formare, vt iuxta normam ipſis demandatam ſua ipſorum defungerentur prouincia. Quodſi enim vel minimum circa ſacrificia et oblationes admitterent ſacerdotes naeuum, rebus ſacris attrahebatur immundities. Quare ſacerdotes iuniores, antequam munera capeſſerent publica, diligentius inſtruendi erant. Voluit enim ſanctiſſimus Deus, vt religionis officia in gente Iudaica ita dirigerentur, ne vel ipſius laederetur ſanctitas, vel ipſa cultus diuinioris ratio aliis gentibus impura videretur, atque male compoſita. Poterant autem homines, tribui Leui ac familiae Aroniticae addicti, a tenera inde aetate hanc diuinam religionis formam, parentum vſi inſtitutione, ſolidius imbibere, ſeque, crebriori exercitio in rebus ſacris aptos efficere atque idoneos ad munera ſacra aliquando ſubeunda. Secus autem ſe res habet cum hominibus alienis, rebus humanis, et in

vita

vita humana agendis a pueritia adſuetis, quorum ignorantia et temeritate committi poterant vitia, in ſanctitatem integritatemque cultus purioris prorſus iniqua.

§. V.

Leges diuinae, de integritate Sacerdotum, adferuntur.

Ne vero renitente, quod aiunt, natura, vnusquisque tribu Leui et familia Aronis natus, ſiue integer eſſet ſiue mutilus ac vitioſus, ad facienda ſacra accederet, et ſacerdotium vitiaret, illudque deduceret in contemtum, leges circa externam corporis conditionem promulgauit Deus, quae iam ſunt commemorandae, et commentationibus nonnullis illuſtrandae. Conſideraturus autem has ſanctiones diuinas, in limine moneo, eas duplicis eſſe generis. Leguntur Leuitic. Cap. XXI. leges, eo tamen diſcrimine, vt in priori huius capitis parte ea inprimis tractentur imperata, quae ſacerdotem ſeu Pontificem Maximum, e familia Aronis eligendum, proxime attingunt; in poſteriore vero huius capitis membro illa contineantur mandata, quae ad ſacerdotes vtriusque ordinis ſpectant. Diſpiciendae nunc illae ſunt, quas Deus, de ſacerdotibus omnium ordinum, integro corpore praeditis, ſanxit leges, quo cultus publicus, isque diuinus, ſanctitatis nomine eo magis augeretur. Leges, Leuit. Cap. XXI. commatibus 17. 18. 19. 20. 21. ita fluunt:

Verſ. 17.

דבר אל־אהרן לאמר איש מזרעך לדרתם
אשר יהיה בו מום לא יקרב להקריב לחם
אלהיו׃

Loquere ad Aaronem, dicendo: vir de ſemine tuo in generationibus tuis, cui fuerit macula, non accedet ad faciendum (offerendum) panem ſui Domini.

Verſ. 18.

כי כל־איש אשר־בו מום לא יקרב איש
עור או פסח או חרם או שרוע׃

Nam omnis, cui fuerit macula, non accedet ad miniſterium eius, ſi fuerit coecus, ſi claudus, ſi paruo vel grandi, vel torto naſo.

Verſ. 19.

או איש אשר־יהיה בו שבר רגל או שבר
יד׃

Vel vir, cui fuerit fractio pedis, vel fractio manus.

Verſ. 20.

או־גבן או־דק או תבלל בעינו או גרב או
ילפת או מרוח אשך׃

Si gibboſus, vel minutus, vel albugo in oculo ſuo, vel ſcabies (purulenta) vel ſcabies perpetua, vel contuſus teſticulo.

Verſ. 21.

כל־איש אשר־בו מום מזרע אהרן הכהן
לא יגש להקריב את־אשי יהוה מום בו
את לחם אלהיו לא יגש להקריב׃

Omnis, qui habuerit maculam, de ſemine Aaron, ſacerdotis, non accedet offerre hoſtias

Domino, quia habet maculam; propterea non appropinquabit ad offerendum panem Dei ſui.

Tam ſanctam atque intemeratam, etiam qua externam formam, Deus eſſe voluit ſacerdotum familiam, vt vnusquisque facile intelligeret, cultum diuinum inter Hebraeos conſtitutum inſtauratumque eſſe omnium ſanctiſſimum. Quamuis enim haec externa ſacerdotum forma minime internam et veram ſiſteret religionis ſanctioris indolem, teſtis tamen fuit ſanctitatis in cultu caſtiore obuiae, a ſacerdotibus tenaciſſime obſeruandae, et boni, quem Deus in rebus ſacris amat, ordinis, quo externa conſeruetur commendeturque religionis exercendae ratio.

§. VI.

De integritate corporis in ſacerdotibus neceſſaria agitur.

In delectu hominum, qui rebus ſacris tractandis erant praeficiendi, primo ad ipſorum natales, deinceps ad corporis reſpiciebatur integritatem. Nemo, qui non natales e tribu Leui et familia Aronis deduceret, adſpirare poterat ad ſacerdotium, quia haec dignitas huic tribui ac familiae ſolum erat relicta. Qui vero ſua progenie fulti munus appetebant ſacrum, etiam atque etiam erant aſpiciendi, vtrum integro gauderent corpore, et vitae ſe commendarent probitate. Nec ipſe ſacerdos Maximus

mus, iam eligendus atque inaugurandus, hoc ab examine eximebatur. Traditum erat ſummo ſynedrio hoc ſacerdotum omnium ordinum examen, teſtibus Leideckero *) et Ottone **), cui incumbebat cura, vt non niſi viri omni corporis vitio vacui admitterentur. Si vero ipſas leges diuinas, de vitio corporis latas, ſpectes, illae in vniuerſum omnes maculas attingunt, et corporis defectus deformitatesque. Prout autem Iudaeorum Magiſtri in explicatione legum a Deo datarum fuerunt ſeduli, nec non rigidi; ita de minutiſſimis etiam corporis vitiis, quo voluntati diuinae ex aſſe facerent ſatis, extiterunt ſolliciti. Hacce prouida impulſi cura, tria conſtituerunt vitiorum genera in toto corpore conſpicua, ita quidem, vt ad *primum* genus L. ad *ſecundum* XC. et ad *tertium* demum II. referrent corporis naeuos, quos verboſius recitant Io. Seldenvs ***) et Mvnstervs ****). Inutilem ſuſciperem operam, ſi haec corporis vitia, quae homines a ſacerdotio arcebant, recenſere vellem. Si vero eadem expendas, videbis, Iudaeorum doctores ſatis graues horum vitiorum extitiſſe cenſores, et minutiſſimas etiam, quae aliquantisper corpus faciemque

 homi-

*) de Republ. Hebraeor. Lib. X. Cap. III. p. 591.
**) in Lexico Rabbin. p. 534.
***) de Succeſſione in Pontificat. Ebraeor. Lib. II. Cap. V. p. 226. ſeq
****) Criticor. Anglic. ad Leuit. XXI. p. 852.

hominis deformarent, ſub cenſuram vocaſſe labes. Etenim nonnulla corporis dedecora, vt ſaltem vmbilicum eminentiorem, et dentes excuſſos, aut frontem ſublimiorem nominem, tanti non erant ponderis, vt hominem ſacra facientem impedirent. Quo vero mandata diuina, de eligendis ſacerdotibus pronuntiata paulo curatius obſeruarentur, eam adhibebant Synedrii praeſules ſollicitudinem, vt totum corpus omniumque membrorum menſuram ac ſtructuram explorarent, quo Sacerdotes omni carerent graui vitio, leuique corporis macula. Nec improbandam eſſe cenſeo hanc curam. Quanquam enim leuidenſes maculae ſacerdotes ad officium obeundum non reddebant ineptos, adferebant tamen illis dedecora, quibus viris ſacris, alias maxime colendis, conciliabatur contemtus.

§. VII.

Argumentum, de integritate corporis, vlterius protrahitur.

Integritatem corporis, qua inſtructum eſſe oportebat virum, ſacris iam praeficiendum, penitius conſideraturus, obſeruo, hoc nomine totius corporis atque omnium membrorum indicari perfectionem, iuſtam menſuram, et formam hominibus natiuam. Quam omnium corporis partium conſenſionem ſacri Veteris Teſtamenti ſcriptores vno nomine תם, rectus,

ctus, perfectus, integer, exprimunt. Exod. XII. 5. Leuit. I. 10. III. 6. IV. 32. XXII. 22. 23. Graeci vero interpretes, nec non profani auctores, eamdem integritatem verbo ὁλοκληρος denotarunt, cuius rei exempla plurima collegerunt Abrah. Trommivs *) et Edvard. Leighivs **). Familiare quoque eſt Iosepho, nomine τȣ ὁλοκληρȣ ſacerdotum Hebraeorum indicare integritatem, quod multis teſtimoniis ex Iosepho collectis docet Io. Bapt. Ottivs ***). Notat quippe dictio ὁλοκληρια, teſte Ivl. Pollvce ****), victimam integram et nullo vitio maculaque laborantem. Hocce ſenſu verbum ὁλοκληρος ſumitur de inuenca integra iam immolanda apud Iosephvm *****) μοσχον Ͽηλειαν αροτρȣ μεν και γεωργιας απειρον, ὁλοκληρον: *inuencam inter arandum agrumque colendum nunquam iugo ſubditam, totam vero integro corpore rubeam, paulum extra caſtra educens Pontifex in loco puriſſimo eam immolauit.* Agit Iosephvs de vacca ruſa, extra caſtra mactanda, de qua Num. XIX. 2. traditur mandatum. Translatum quoque eſt hoc vocabulum ad homines

*) Concordant. Graec. Tom. II. p. 121.
**) Critica S. ad h. v. p. 226.
***) Spicilegium ex Flav. Ioſepho ad illuſtr. N. T. p. 425.
****) Onomaſtic. Lib. I. Cap. I. p. 21.
*****) Opp. Tom. I. Antiquitt. Iudaic. Lib. IV. Cap. IV. p. 146. edit. Hudſon.

mines, qui recto validoque corporis omniumque partium vſui ſunt reſtituti, vti de claudo a Petro ſanitati reddito legitur: ἡ πιςις ἡ δι᾽ αὐτȣ ἐδωκεν αὐτῳ ὁλοκληϱιαν ταυτην ἀπεναντι παντων ὑμων; *fides huic dedit ſanitatem coram omnium oculis veſtris.* Act. III. 16. Notat porro hoc verbum τȣ ὁλοκληϱȣ animi integritatem, quo ſignificatu adhibetur a divo Paullo: ὁ Θεος της εἰϱηνης ἁγιασαι ὑμας ὁλοτελεις, και ὁλοκληϱον ὑμων το πνευμα, και ἡ ψυχη, και το σωμα κ. τ. λ. *Deus pacis vos ſanctificet totos, vt integer veſter ſpiritus, et anima, et corpus ſeruentur.* I. Theſſ. V. 23. Huc quoque ſpectat effatum Iacobi I. 4. Ηδε ὑπομονη ἐϱγον τελειον ἐχετω, ἱνα ἠτε τελειοι και ὁλοκληϱοι, ἐν μεδενι λειπομενοι. *Patientia vero debet conſtans eſſe vsque ad finem, vt ſitis perfecti, integri, et in nulla parte deficientes.* Notus denique eſt huius vocabuli vſus, de imperio et regimine bene conſtituto adhibitus, cuius rei exempla collegit Iac. Elsnervs *) de Imperio Alexandri M. ex Herodiano obſeruans: παvυ γȣν ἀν ἡ Αλεξανδϱȣ βασιλεια ἐυδοκιμησεν ἐις το ὁλοκληϱον: *omnino vero regimen Alexandri ita fuerat comparatum, vt in eo nihil potuerit deſiderari.* Multa exhibet Henr. Stephanvs **) rei teſtimonia, hoc verbum, de integritate hominis

*) Obſeruatt. S. in N. T. Tom. II. p. 278.

**) Theſaur. Lingu. Gr. Tom. II. p. 244.

minis aliarumque rerum, ab optimis Graeciae auctoribus ſumi. Non dubito, quin ex his teſtimoniis in medium adductis planum ſit atque perſpicuum, hoc nomine apud Hebraeos תם, et Graecos ὁλοκληρος, eam intelligendam eſſe corporis integritatem, quae omnem defectum, quin immo minutam etiam maculam excludit ac deformitatem. Quae ſi nunc ſub limam vocetur lex diuinitus demandata, apparet, Deum rigidiore admodum in gente Iudaica vſum eſſe diſciplina, neque paſſum, vt homo mutilo ac deformi corpore inſtructus, vel leuidenſi etiam labe conſperſus, rebus ſacris praeficeretur, ne cultui diuino quaedam attraheretur macula. Accuratum cum ſacerdotibus iam inaugurandis inſtituendum erat examen, omnesque corporis luſtrandae partes, ne horum imperatorum diuinorum laederetur auctoritas. Nolo tamen ire inficias, Iudaeorum Magiſtros paulo rigidiores forte extitiſſe horum vitiorum in ſacerdotibus obviorum cenſores, et minimas etiam in crimine poſuiſſe maculas, in lege praeteritas, ſed nimio, quo mandata diuina interpretari ſolebant, ſtudio obſervatas. Excuſandi videntur Iudaeorum doctores, eo inprimis nomine, quia ſummus harum legum auctor corporis integritatem, omni labe vacuam, in ſacerdotibus eligendis conſtituendisque omnino poſtularat. Voluerunt itaque in exceſſu potius peccare, quam in defectu. Quam regulam Iu-

daei in mole praeceptorum tam negatiuorum, quam affirmatorum ſibimetipſis praeſcripſiſſe videntur.

§. VIII.

Haec Tractatio plenius illuſtratur.

Quam ſollicitudinem Patres Hebraeorum conſcripti in ſeligendis ſacerdotibus, eorundemque integritate corporis inueſtiganda, perſcrutandaque morum ſanctitate adhibuerint, auctor eſt Flav. Iosephvs *) hunc in modum ediſſerens: *Omnes Sacerdotes* ἀφελεις ἐιναι, πασαν ἀφελειαν. Των δε μη ὁλοκληρον των ἱερεων νεμεσθαι προς τȣς ἱερεις ἐκελευσε τα γερα· ἀναβαινειν δε ἐπι το βωμον, και εἰσιεναι εἰς τον ναον ἐκωλυσε. Μη μονον δε περι τας ἱερȣργιας καθαρȣς εἰναι, σπȣδαζειν δε και περι την αὐτων διαιταν, ὡς αὐτην ἀμεμπτον εἰναι. *corpora habere integra iubentur, et ab omni vitio pura. Si cui tamen ſacerdotum defectu aliquo laborare contigerit, iuſſit ſuam cum ſacerdotibus partem accipere; verum ad altare aſcendere, et fanum intrare prohibuit. Nec ſolum in ſacris obeundis puros eſſe voluit, ſed et operam dare, vt in quotidianae vitae conſuetudine ſeſe irreprehenſibiles praeſtent.* Tria Iosephvs in ſacerdotibus deſignandis obſeruat momenta. *Primum* eſt, vt ſint corpore integro

*) Antiquitt. Iudaic. Lib. I. Cap. XII. 128. Tom. I. Part. I. Edit. laud.

tegro praediti, omnique macula vacui, ſi ad hanc ſacram adſpirare velint dignitatem. *Alterum* eſt, vt, ſacra publica facientes, puri ſint, et nulla contaminati labe. Explorare enim ſe ipſos debebant ſedulo, et cognita aliqua corporis immunditie, caſu attracta, a ſua recedere ſolebant ſtatione, ne cultus religioſi ſanctitati nocerent. *Tertium* eſt, vt vitam, et mores ſuos in conſuetudine humana, ita dirigerent, ne grauitatis, et modeſtiae tranſilirent limites, ſeque in aliorum deducerent contemtum. Memoria omnino dignum eſt, eam eſſe huius integritatis in corpore apud ſacerdotes rationem, vt non ſolum in ſacris peragendis, ſed vitae etiam quotidianae vſu, ſingularem tenerent animi grauitatem, et morum probitatem, de quo argumento infra dicendi erit locus. Quam verecundiam, ſi in his legibus diuinis neglexeris, iniquam de illis tuleris ſententiam, ac dixeris, plus ſanctitatis Deum tribuiſſe corpori, quam animo, cum tamen mentis et morum caſtitas omne in munere ſacro ferat punctum.

§. IX.

Gentiles, de integritate corporis in ſacerdotibus fuiſſe ſollicitos, demonſtratur.

Placet per tranſennam in Gentilium excurrere inſtituta, et diſpicere curatius, quid illi de corporis integritate in ſacerdotibus conſpicua, ſtatuerint. Gentiles, Graeci inprimis ac Ro-

mani, cultui religioſo ad ſuperſtitionem vsque addicti, ſedulo curarunt, vt ſacrorum publicorum dignitas, ſacerdotum praeſtantia, et forma ad pulcritudinem compoſita augeretur; neutiquam autem eorumdem deformitate contemneretur. Antiquitatis proſtant documenta, ex quibus luculentius apparet, Graecos Romanosque de integritate corporis in ſacerdotibus reſplendeſcente fuiſſe perquam ſollicitos. Iuuat excitaſſe EZECH. SPANHEMIVM *), haec commemorantem: *Ea erat Sacerdotii apud Hebraeos ratio, vt, qui aliqua corporis parte eſſent mutili, ſeu non ὁλοκληροι a Sacerdotio excluderentur, nec diſpar apud Romanos augurum conditio, quos ἀσινεις, και ὁλοκληρους, non mutilos corpore, ſed integros eſſe oportuit, immo quibus vlcus etiam habentibus interdictum augurari,* quod docet PLVTARCHVS *Quaeſt. Rom. p. 281. Quod de Sacerdotibus in genere, Hebraeorum more apud Athenienſes, et legibus cautum erat, quarum aliquoties ſit mentio apud Veteres Hermogenis Enarratores. p. 88. 197.* νομος τον ὁλοκληρον ἱερασθαι: *lex eſt, vt corpore integer ſacerdotium conſequatur, Quod diſcrimen proinde ea in re inter Athenienſes, et Aegyptios* **), *qui illud ſcilicet* ὁλοκληρον in

*) in Not. ad Callimach. p. 621.

**) Aegyptios ſine ſelectu conſtituiſſe ſacerdotes, ſiue integri fuerint, ſiue mutili, ac deformes, ex illorum deducendum eſſe putauerim conſuetudine, qua filius natu maior ſa-

in eorum ſacerdotibus non exigerent, tangit Anaxandrites apud Athenaeum Lib. VII. p. 300.

Τȣς ἱερεας ἐνθαδε μεν ὁλοκληρȣς νομος
Ἐιναι, παρ' ὑμιν δε, ὡς ἐοικεν, ἀπεργμενȣς.

Sacerdotes quidem hic corpore integro lex ſciuit,
Apud vos autem, vt fertur, mutilatus.

Praeſtat hanc Athenienſium conſuetudinem nouis firmare fundamentis, quae his verbis adfert Io. Clericvs *). *Lex fuit Athenis* θαλλοφορȣς τη Αθηνᾳ τȣς καλȣς γεροντας ἐκλεγεσθαι. *Senes Mineruae Oleae ramum Panathenalis geſtantes formoſos eligi.* Extat apud Xenophontem in Sympoſio: *Altera apud eosdem lex fuit, qua integro corpore Sacerdotes eſſe oportebat, vt docet auctor Etymologici Magni, in voce* Αφελης, *quam ita exponit:* οἱ βασιλεις, και οἱ ἱερεις εδοκιμαζοντο Αθηνηθεν, ει ἀφελεις, και ὁλοκληροι. *Reges et Sacerdotes examinabantur Athenis, num ſani eſſent,*

cerdotis ſummi ſemper recepit dignitatem. Cum autem huius legis eſſent tenaciſſimi, facile accidere potuit, vt filius corpore vitiatus in locum parentis ſurrogaretur. Differitur de hoc Aegyptiorum more, in Hiſtor. Vniuerſ. Anglic. Tom. I. Part. III. Sect. II. §. 501. p. 420. edit. Baumgartenii. Alia vero fuit apud Hebraeos eligendi ratio.

*) in Commentar. in Pentateuch. ad. Leuit. XXI. p. 265.

ſent, et integro corpore. Hesychius haec nomina ita explicat: ἀφαλης, ἀσινης, καθαρος, ὁλοκληρος, ὁ μητε πλεοναζων, μητε δεων τι τȣ σωματος: *dicitur illaeſus, purus, integer, cui neque redundat quid in corpore, neque deeſt.* Documento eſſe poſſunt haec teſtimonia, plerisque populis percultioribus religioni fuiſſe, ſacerdotes mutilo corpore, aut inſigni deformitate inſtructos, in ſacrum adoptare ordinem. Licet autem his gentilium inſtitutis legibus diuinis, hanc in rem definitis, nihil accedat roboris, patet tamen, illas ipſas regulas rationi et dignitati officiorum eſſe valde conformes, Summoque Numine maxime dignas.

§. X.

Ipſa harum legum verba explicantur.

Progredior nunc ad difficiliorum, quae in Cap. XXI. Leuit. latent, verborum explicationem. Exponit Deus illas rationes, quae circa ſacerdotes eligendos conſtituendosque erant in gente Iudaica tenendae. Verſu 17 dicitur איש מזרעך vir *de ſemine* ſuo. Agit Deus de ſacerdotibus, qui natales ſuos ex Aronis ſtirpe ſeu ſemine ducere debebant. Etenim huic familiae et tribui Leui poteſtas ſacra faciendi tantum erat relicta. Bene tamen notandum eſt, hic loci non de Leuitis, ſeu infimi ordinis hominibus, ſed de ſacerdotibus primi ſecundique generis agi; quia ſermo eſt,

de

de ſacrificiis offerendis, panibus ſacris apponendis, et ipſo ad ſanctiſſima loca acceſſu. Quae commemorantur officii obeundi partes, non Leuitis, ſed ſolis ſacerdotibus, erant demandatae. Familia vero Aronis primitus quatuor conſiſtebat filiis, Nadabe, Abihu, Eleaſare et Ithamare. Exod. VI. 23. Cum auautem duo natu maiores ignem peregrinum templo intuliſſent, igneque coeleſti, funeſto prorſus excidio fuiſſent extincti, ſuperſtites manſerunt iuniores Aronis filii, Eleaſer et Ithamar, ex quorum poſteris tota gens ſacerdotum erat enata. Equidem vix crediderim, iam tempore Moſis hanc Aronis familiam in tam amplam accreuiſſe multitudinem, vt certas, quae deinceps conſtitutae ſunt, ſacerdotum deſignarent claſſes; attamen voluit Deus hac lege genti Aronis perſpicere, quia huius ſanctionis conditor loquitur, de *generationibus tuis* לדרתם. Certum eſt, hanc Aronis familiam ſucceſſu temporis tantis auctam acceſſionibus, vt tempore Dauidis neceſſe eſſet, has generationes in quatuor et viginti cuſtodias ſeu ordines diuidere. Nimirum ex Eleaſaris poſteris extiterunt ſedecim, et ex Ithamaris progenie octo claſſes, vti I. Chronic. VII. 3. ſeq. II. Chronic. VIII. 14. relatum legimus. Iſtae vero claſſes ſuas habebant vices iam definitas, ita vt vna quaeuis ſingulis ſeptimanis ſacro in templo Hieroſolymitano defungeretur officio. Nec praetermittendum eſt, quamlibet cuſtodiam in

ſeptem

ſeptem partes, quae vocabantur בית אבות, *Domus Patrum*, fuiſſe diſtinctam. I. Chron. XXV. Rebus ita bene compoſitis, quaeuis claſſis ad prouinciam ſuam, in templo ſubeundam, ſtatis accedebat diebus, vti diligentius tradunt GVIL. SVRENHVSIVS *), IO. SELDENVS **), CAROL. SIGONIVS ***), IO. SAVBERTVS ****). Tradit inſuper GEMARA HIEROSOLYMITANA *****) tempore Moſis, octo extitiſſe claſſes ſacerdotum, quatuor ex Eleaſaris, et quatuor ex Ithamaris, familia. Auctas deinceps eſſe octo nouis claſſibus, tempore Samuelis, et Dauidis, Salomonisque aetate tandem adhuc octo acceſſiſſe ordines, ita, vt numerus ad XXIV. exſurgeret ſacerdotum ordines. Proſtat luculentum huius ordinis teſtimonium Luc. I. 8. de Zacharia; Εγενετο δε εν τω ἱερατευειν αὐτον ἐν τη ταξει της ἐφημεριας αὐτȣ κ. τ. λ. *Factum eſt cum ſacro officio iuxta ſuum ordinem fungeretur.* Summus in ſacris peragendis, his ex legibus, obſeruabatur ordo, ne quid detrimenti cultus caperet publicus, isque religioſus. Pontifex autem Maximus, ſolo expiationis die, et

*) Leg. Miſchnic. Part. II. Tractat. de Ieiuniis. p. 366.

**) de Succeſſ. in Pontific. Ebr. Lib. I. Cap. I. et II. p. 112. ſeq.

***) de Republ. Hebraeor. Lib. V. Cap. II. et III p. 311. ſeq.

****) de Sacerdot. Ebraeor. Cap. IX. p. 307.

*****) Tr. Tainoth ſ. de Ieiuniis. Cap. IV. ſ. 67.

et ſolemnitate feſtorum diuinitus traditorum ſuo defungebatur munere. Reliqui ex aduerſo ſacerdotes ſuo ex ordine ad rem ſacram accedebant faciendam. Suum quisque iuxta normam, quod ſors deſignauerat, tractabat munus. Nemini integrum erat, ſe alterius ingerere negotiis. Quid? Quod templi Praeſides omnem adhibebant operam, curamque, vt omnia iuxta regulam, a Deo datam et longo receptam vſu, decenter et rite perficerentur, nec aliquid tumultuarie et perfunctorie in ſacris fieret publicis.

§. XI.

Verborum ſiſtitur explicatio.

Non refert hic loci omnia recenſere corporis vitia, in ſacerdotibus luſtrandis indaganda, quae commemorant Io. SELDENVS *) et SAVBERTVS **). Monendum ſaltem eſt, quaedam vitia emendationis haud neſcia fuiſſe, ideoque viros ſacros non perpetuo, ſed tantum ad certum aliquod tempus, a ſacerdotio capeſſendo arcuiſſe. Quales naeui ſunt immunditics forte attracta, lotionibus repurganda, foetor oris, ſudor hircinus, aromatibus depellendus, et aliae huius generis maculae. Hacce in commentatione potiſſimum diſpicienda ſunt corporis vitia, in legibus diuinis diſertis commemorata verbis,

*) Lib. memorat. Lib. II. Cap. V. p. 226.
**) L. c. Part. II. Cap. II. p. 351. ſeq.

verbis. Sequuntur leges iam eruendae. *Vir de ſemine tuo, cui fuerit* מום, *macula, non accedet.* verſ. 17. Hebraei nomine מום omnem, quae demumcumque ſit, intelligunt labem, cui opponitur תם *integer, perfectus.* Prout igitur victima iuxta Exod. XII. 5. debebat eſſe omnis vitii expers, ita nec minus ſacerdotes oportebat eſſe *ἀμωμȣς*, ſeu omni labe carentes. Inde facile reddi poterit ratio, cur ſeptuaginta interpretes teſte Waltonio *) pro verbo מום ſemper poſuerint dictionem, *μωμος*. Denotat hoc vocabulum, auctore Edvardo Leighio **), plerumque corporis vitium, cui demum adhaereat parti, attamen quoque illud de animi vitiis et peccatis legitur. Quorſum omnino faciunt dicta, iam adferenda. De ſalutis noſtrae inſtauratore, Chriſto, dicitur, quod nos redemit *τιμιῳ αἱματι, ὡς ἀμνȣ ἀμωμȣ, και ἀσπιλȣ*: *pretioſo ſuo ſanguine, tanquam agni immaculati, et integri.* I. Petr. I. 19. Porro dicitur de Chriſto, quod nos fideles fecit *ἁγιȣς, και ἀμωμȣς, και ἀνεγκλητȣς, ſanctos, immaculatos, et irreprehenſibiles.* Col. I. 21. 22. Pari ratione Eccleſia Chriſti appellatur virgo *ἁγια, και ἀμωμος, ſancta et intemerata.* Epheſ. V. 27. Ea quoque verſione vſi ſunt Graeci interpretes Canticorum Cap. IV. 7. in quo dicitur: *tota tu*

*) Biblior. Polyglott. Tom. I. ad h. l. p. 496.
**) Critic. S. V. T. p. 123.

tu pulcra es amica mea ומום אין בך, *et macula non eſt in te:* και μωμος ὀυκ ἐςιν εν σοι. Cum veritate ſuſpicatur Dan. Heinsivs *), hanc dictionem ex Oriente a Graecis eſſe arceſſitam. Ceteroquin luculentum eſt, hac in regula diuina, hoc verbum ſumi de externa corporis forma, quae omnis maculae debebat eſſe neſcia. Nolo tamen inficiari, Deum quoque internam animi probitatem hoc nomine ſimul indicaſſe. Seruant reliqui interpretes huius dictionis ſenſum, et illam de labe et deformitate, qua demum in corporis parte ſit obvia, accurate interpretantur. Hactenus Deus in vniuerſum de omni corporis vitio, quod ſacerdotibus attraheret maculam, egit; ſed poſtea potiores adducit corporis deformitates, deinceps explicandas. Demandat ſummus ſapientiſſimusque cultus religioſi ſtator, ne homines his naevis laborantes accedant ad faciendum, ſeu offerendum, panem Domino. Munera ſacerdotibus inferioris ordinis, in cultu ſacro obeunda, potiſſimum ad ſacrificia luſtranda, praeparanda et offerenda, nec non panes in menſa aurea reponendos redibant. Conſtat autem ex Svrenhvsio **), Leidekkero ***) et

*) Exercitat. Sacr. ad N. T. ad Epheſ. V. 27. p. 471.

**) Leg. Miſchnic. Part. V. p. 348. ſeq.

***) de Republic. Hebr. Lib. VIII. Cap. II. p. 507. ſeq.

et Ligtfooto *), illas res ſacras mediam templi occupaſſe partem, ſi excipias altare ſuffitus, quod extra velum erat poſitum. Remouendi itaque erant ab his ſacris cancellis omnes ſacerdotes, corpore vitiati. Pateſcit vlterius, omnes hac lege tangi ſacerdotes. Quamvis enim Pontifex Maximus non quotidie ſacram obiret prouinciam; ſolemniori tamen expiationis publicae die his defungebatur officii partibus. Firma proinde et ſtabilis eſt ſententia, omnes, qui res ſacras peragebant, ſacerdotes, ſed corporis maculis conſperſos, hac dignitate legibus ſanctioribus eſſe excluſos. Erant autem ex inſtitutis diuinis quotidiana ſacrificia praeſtanda, et panes iugiter Deo offerendi, in menſa illa aurea; ſedulo igitur erat prouidendum, ne vllus ſacerdos vitiatus, vel macula per ſomnium conſpurcatus, niſi bene lotus ad haec ſacra, ſepimento quaſi et velo circumcincta, accederet loca. Periculum enim erat, ne locorum laederetur ſanctitas. Tam religioſa fuerunt haec tabernaculi templique ſtadia, vt nemini, niſi ſacerdotibus, iisdemque puris ac integris, illa ſalutandi daretur facultas. Piaculum autem aeſtimabatur, ſi homo gregarius intra velum, interioremque templi partem, inprimis autem locum ſanctiſſimum ingrederetur. Quod ſcelus Antiocho Epiphani, ſeu potius

*) Opp. Tom. I. p. 555. in Deſcriptione Templi. et p. 630.

potius Epimani et male ſano, a Iudaeis maximo ponebatur in crimine *). Sed grauis Antiochvm inſequebatur poena. Nec ipſi ſacerdotes omni carebant animaduerſione, ſi temulenti, aut vitio conſperſi, accederent, et loci ſanctitatem redderent profanam.

§. XII.

Vitia corporis, a ſacerdotibus remouenda, vlterius enumerantur.

Siſtunt commata ſequentia nunc ea inprimis corporis vitia, quae certis partibus adhaerent, easque reddunt vitioſas ac deformes. Tradunt leges diuinae in verſu 18. has maculas: *Non accedet ad miniſterium, ſi fuerit coecus, ſi claudus, ſi paruo, vel grandi, vel torto naſo.* Verſio ſeptuaginta viralis **) hanc legem ita expreſſit: ȣ̓ προσελευσεται ἀνθρωπος τυφλος, ἢ χωλος, ἢ κολοβοριν, ἢ ὠτοτμητος. Verba עִוֵּר *coecus*, et פִּסֵּחַ, *claudus* ſua radiant luce. Vtrumque vitium ſacerdotem in ſacris rebus tractandis impedire poterat. Viſus quidem oculorum, in luſtrandis victimis, iisdemque offerendis, et rebus in templo altarique agendis erat maxime neceſſarius, ne cultus diuinus commacularetur, aliquidque, quod eidem eſſet aduerſum, ex ocu-

 lorum

*) Leg. II. Maccab. V. 15. ſeq. conf. Pridoſii Hiſtor. V. et N. T. Gent. Iudaic. Part. II. Lib. III. p. 207.

**) Waltonii Bibl. Polygl. ad h. l. p. 496.

lorum coecitate committeretur. Ne quid de deformitate hominis coeci, qui facile aliis movet taedium, ſibique contrahit contemtum, addam. Verſatur ob oculos ſingulare Regis Dauidis, quod deinceps in prouerbium inter Hebraeos abiit, effatum, *non admittas coecum et claudum in domum*, II. Sam. V. 8. Graeci Interpretes illud preſſius de domo Dei intellexerunt: Τυφλοι, και χωλοὶ ἐκ ἐισελευσονται ἐις ὀικον κυριȣ. Vulgata habet *templum*; reliquae vero verſiones *) legunt *domum*. Ineptus quoque erat ſacerdos iam eligendus, claudus, ad obeunda officia in templo praeſtanda. Vires ad baiulanda ſacrificia requirebantur oppido validae, quibus tamen claudi plerumque deſtituuntur. Minus quoque decorum Deo videbatur, ſacerdotes admittere claudos, titubantes ac tremulos, quorum aſpectus eſt deplorandus. Sancta et perfecta poſtulabat Deus a Iudaeis ſacrificia, Leu. XXII. 19. ſeq. Deut. XV. 21. Cap. XVII. 1. ſeq. Malach. I. 8. mutila vero ac commaculata ab aris erant arcenda. Quo inſtituto procul dubio edocuit Deus, multo minus ſacerdotes, rem ſacram facientes, coecos, claudos, deformesque ipſi placere. Si enim in rebus, noſtra opinione tenuioribus leuioribusque, tantam obſeruauit caſtitatem, multo magis eadem in perſonis, religionis myſteria tractantibus, et ad intimiorem Dei con-

*) Waltonii l. c. Tom. II. ad h. l. p. 324.

conſpectum accedentibus fuit neceſſaria, vt ſanctitati diuinae ſuus conſtaret honos.

§. XIII.

Tractatio huius argumenti protrahitur.

Scopam difficultatemque interpretibus excitarunt verba in memorato verſu ſequentia, quae nunc ſub limam ſunt vocanda. Sunt autem illa שרוע et חרום, paruo vel grandi, vel detorto naſo, vt habet verſio vulgata. Graeci vero interpretes ea reddiderunt per κολοβόριν, καὶ ὠτότμητον: *naſo mutilatum, et auribus ſectum.* Quae duo nomina commoda indigent explicatione. Laudati Interpretes eamdem tenuerunt explicationem oraculi Levit. XXII. 23. traditi, quo prohibentur Iudaei offerre μόσχον, ἢ πρόβατον ὠτότμητον, ἢ κολοβόκερκον, *bouem ſeu agnum mutilatis naſo, et auribus.* Si linguae graecae indolem ſpectes, dictiones κολοβὸς, κολοβόρις, κολοβόκερκος, auctore STEPHANO *), ſignificant mutilatum eſſe ſeu amputatum. Limate quoque annotauit POLVS **) חרום, κολοβόρις denotare naribus mutilatum. Sententiae praeſidium ponit in conſuetudine Aegyptiorum, qui hominibus deuotis, et ad ſupplicia damnatis, naſos praeciderunt, vti ex calamitate Rhinocolurenſi conſtat. Inde ῥινοκόλουρος idem eſt ac

*) Theſaur. Lingu. Gr. Tom. II. p. 314.
**) Synopſ. Vol. I. p. 595.

κολοβοϱις, exciſus ſeu naſo mutilatus. Multum acuminis ingeniique in hac latere commentatione, certo eſt certius. Ecquis enim eſt*, qui neſciat, nonnullis populis in moribus fuiſſe poſitum, deuictos, captiuosque, in ſignum ſeruitutis aliqua inſigniore priuare corporis parte. Nahaſus rex Amoritarum Iabeſitis oculum dextrum excidere tentabat, I. Sam. XI. 2. vt Iudaeos redderet deformes. Conſtat quoque, Nabuchodonoſorem Zedeciam, Iudae Regem, oculis priuaſſe, Ierem. XXXIX. 7. atque eumdem hoc modo ad gubernacula tenenda reddidiſſe ineptum. Quod ipſum ſupplicium inter Turcas, Perſas, aliosque immanes populos, vti conſtat, eſt frequentiſſimum. Sed indagandus eſt dictionis, חרם, neruus diligentius, quo noſtro officio faciamus ſatis. Vocabulum חרם ex plerorumque interpretum, potiſſimum Graecorum, ſententia ſignificat naſum vel depreſſum ad modum ſimiarum, vel naſum in medio eminentiorem, vel etiam aliquantiſper incuruatum, quem aquilae naſum dicere amamus. Hacce ex notione fluit, חרום eſſe vitium in naſo, ſiue ille ſit depreſſior, ſiue eminentior, ſiue denique iuſto maior, aut minor. Non negauerim, hoc verbum eam ſuſtinere poſſe ſignificationem, videtur tamen hic loci eamdem paulo ſtrictius ſumi, et proxime ad naſum reſtringi. Syrus quidem huic fauet interpretationi, ſed Onkelosius *) habet או חרם או שרוע, aut diminu-

*) Waltonii Bibl. Polygl. ad h. l. 497.

diminutus aut *ſuperfluus*. Habent quoque Io. Clericus*) et Mar. a Calasio**), quod circa hanc dictionem moneant. Docent quippe ex linguarum, Hebraeae et Arabicae, vſu, verbum חרם, ſignificare, *amputare, reſecare, exſcindere*. Quae verbi notio, de exciſione, ſeu excidio hominis, Exod. XXII. 19. ſumitur, et innumeris fere locis confirmatur. Cum igitur hoc nomen ampliſſimam patiatur ſignificationem, atque non raro, teſtibus Gusſetio***), Io. Seldeno ****) et Edv. Leighio *****), notet rem deuotam, quae veluti anathema exſcinditur ac ſeparatur, putauerim, hocce in oraculo innui membrum imminutum ac deforme, in qua demum etiam corporis parte illud ſit poſitum. Omnis enim victima membris mutila, ſiue illa fuerint ſciſſa, ſiue incuruata, ſiue denique diminuta, ab ara ſacra erat remouenda. Quae regula quoque in ſacerdotibus ſeligendis obtinuit locum, vti ex hac norma a Moſe tradita ſatis conſtat. Nolo tamen illis ſcribere dicam, qui pro naſo pugnant deformi. Certum enim eſt, hoc vocabulum tam in lingua Hebraea, quam Chaldaica, hanc admittere poteſtatem, vt ſignificet naſum detortum, depreſ-

*) Commentar. ad h. l. p. 265.
**) Concordant. Biblior. Hebr. Tom. II. p. 267.
***) Commentar. Lingu. Ebr. ad h. v. p. 287.
****) de Iure Natur. et Gentium iuxta diſciplin. Ebraeor. Lib. IV. Cap. VII. p. 520.
*****) Critic. S. V. T. ad h. dict. p. 77.

ſum, grandem, nec minus amputatum. Mea ex ſententia ſeptuaginta interpretes, et reliqui commentatores, forte ad hanc ſeligendam ſententiam deducti ſunt, eo inprimis nomine, quia in hoc commate enumerantur vitia, in facie vultuque potiſſimum quaerenda. His moti rationibus Iudaeorum magiſtri haec nomina inprimis, de naſo et auribus, ſunt interpretati. Etenim, auctore Seldeno *), ſex conſtituebantur apud Iudaeorum doctores vitia, in naſo obvia; naſus nimirum depreſſior, eminentior, alter vtrinque diuergens, grandior, exilior, nimis expanſus quam ferret reliquarum partium menſura. Quae quum ita ſint, mirari non ſubit, Iudaeos hoc verbum, de naſo inprimis, eſſe interpretatos, quia illius ratio in ſacerdotibus inaugurandis omnino habebatur. Nec ipſa verſio b. Lvtheri ab hac recedit interpretatione, quae habet, *naſum inſolentem*. Nec Lutherum hoc nomine ſub cenſuram eſſe vocandum ſtatuo, quoniam ipſius verſioni non ſolum huius nominis ſignificatio, ſed Iudaeorum etiam vſus, in luſtrandis ſacerdotibus obſervatus, egregie fauent.

§. XIV.

Tractatio eiusdem argumenti ſiſtitur.

Progredior nunc ad vocabulum שרוע, quod ſeptuaginta interpretes reddiderunt ὠτότμητος,

*) de Succeſſione in Pontificatu, Lib. II. Cap. V. p. 230.

τος, aurem habens ſectam. Non otioſae, de hac dictione, enatae ſunt diſſenſiones. Io. enim Clericvs *), Mvnstervs, Vatablvs, et Fagivs **) illam interpretantur, vel de naſo depreſſo, vel minuto, qualis in ſimiis conſpicitur, vel de membris monſtroſis et diſparibus, quando nulla iuſta datur naſi, cum reliqua vultus compage, conſenſio. Lvthervs ſua in verſione patria hoc verbum reddidit, per inſolens membrum, quod iuſtam cum reliquis corporis partibus excedit menſuram. Io. Seldenvs ***) hunc diſſenſum, hisce de vocabulis inter Criticos exortum, ita componit, vt primam dictionem חרום, de naſo, cuius ſuperior pars eſt paulo depreſſior ad modum ſimiarum, alteram autem שרוע explicet de homine, qui diſparia habet membra, ſiue in oculis, ſiue in auribus obuia. Vtrumque naevum verſio indicat graeca. Certum autem eſt, verbum שרוע non ſimpliciter aurem ſciſſam, ſed id omne, quod nullam iuſtam habet conſenſionem, recte notare. Non igitur opus erat, vt interpretes Graeci a genere prolaberentur ad ſpeciem. Occurrit haec dictio שרוע Leuit. XXII. 23. et additur קלוט, de boue, ſeu agno, praelongi ſeu breuioris membri. Ex his autem planum eſt, Graecos haec

C 5 duo

*) Memorat. Commentar. l. c. p. 265.

**) Critic. Anglic. ad h. l. p. 852.

***) de Succeſſione in Pontificat. Lib. II. Cap. V. p. 233.

duo nomina per ὠτότμητον et κολοβόρῥιν non ſatis accurate reddidiſſe. Nec St. Hieronymvm rem acu tetigiſſe, memoratos interpretes ſequutum, et haec verba, de *aure*, aut *cauda* amputatis interpretatum, opinatur Sam. Bochartvs *), hanc legem ſolidius explicans. Nec ab hac ſententia longius recedit Iac. Bonfrerivs **), qui verbum חרום per mutilum eſſe, perdere, ſuccindere, reddit, quia Paraphraſis Chaldaica legit, *diminutum:* licet Rabbi *Dauides*, *Pagninus*, et *Tigurinus* interpretes pro naſo retorto aut deformi militent. De verbo שרוע obſeruat Bonfrerivs, illud Vatablvm, et Chaldaicum Paraphraſtem, omnino de membris intelligere monſtroſis. Si vero ſobria in tantis Criticorum diſſidiis ſeligenda eſt ſententia, ego ſtatuerem, vocabulum שרוע ſatis commode, de membris excreſcentibus, monſtroſis, et iuſtam menſuram excedentibus eſſe ſumendum. Etenim non leuem corpori adfert deformitatem aliquod membrum vel iuſto longius, vel breuius, vel vitioſum, quare victimae etiam, membris monſtroſis inſtructae, Deo aeſtimabantur ingratae.

§. XV.

Vberius de his membris monſtroſis diſſeritur.

Innumeris fere exemplis demonſtrarunt Hodivs, Capellvs, Heinsivs, Hottingervs,

*) Hierozoici Part. I. Lib. II. Cap. XLVI. p. 523.
**) Commentar. in Pentateuch. ad h. l. p. 684.

GERVS, alii, Graecos interpretes ſuo ipſorum non ſatis bene defunctos eſſe officio, quare illorum fidem, admodum ancipitem, in me non ſuſcipio defendendam. Perſuaſum tamen mihi eſt, hos interpretes oculos procul dubio ad alia corporis vitia, in facie conſpicienda, forte direxiſſe, quorum in cenſum quoque venere aures. Etenim commemorat SELDENVS *), quatuor inprimis naeuos circa aures obſeruaſſe rerum apud Iudaeos ſacrarum Praeſides, illosque ſacerdotes, qui aliqua aurium laborabant macula, ad munus obeundum non admiſiſſe. Planum huius rei teſtimonium narrat FLAV. IOSEPHVS **), de HYRCANO II. Pontifice Maximo, his verbis: Ὁ δε Ὑρκανου μεν προσπεσοντος αὐτος τα ὠτα αποτεμνε, ὡς μηδε αὐθις ἐν μεταβολη ποτε δυναιτο την ἀρχιερωσυνην ἀναλαβειν, δει γαρ ὁλοκληρους ἀρχιερασθαι: *At ille (Antigonus) Hyrcani, genibus eius aduoluti, auriculas amputauit, ne vnquam deinceps, ſi rerum accideret mutatio, Pontificatum poſſet recipere! nam oportet eſſe integros, qui iſto munere funguntur.* Totam huius HYRCANI II. hiſtoriam diligentius perſequitur PRIDOSIVS ***). Aurium priuatio plerasque apud gentes eſt poenae

*) de Succeſſione l. c. p. 229.
**) de Bello Iudaico Lib. I. Cap. XIII. p. 86. Opp. Tom. II.
***) Hiſtor. Gent. Iudaic. V. et N. T. Part. II. Lib. VII. p. 622.

poenae ignominiaeque ſignum. Maximam autem deformitatem Pontifici Maximo attraxiſſet aurium defectus, vel inſignis earumdem naeuus, quem hoc nomine ſignificarunt interpretes. Videntur itaque magis ad corporis vitia, ſacerdotibus gentis Iudaicae noxia, reſpexiſſe, quam ad veram, propriamque huius nominis, notionem, quam interpretandi rationem paſſim obſeruarunt. Quamuis autem certo ſtet talo, hanc aurium labem ſacerdotibus Iudaeorum fuiſſe feralem; videtur tamen verbum שרוע ab his interpretibus paulo ſtrictius ſumtum. Etenim CALASIVS *) multis ſacri codicis locis ad euictam praeſtat fidem, memoratum vocabulum שרוע propria ſua notione ſignificare, *exuberauit*, *ſuperfluum* eſt, vel *exceſſit*, vti dictio שרוע ſumitur, Leu. XXII. 23. de boue vel agno membris excreſcente, et Ieſ. XXVIII. 20. de lecto non amplo. Annotavit quoque GVSSETIVS **), hanc dictionem affinem eſſe verbo Graecorum συρειν, quod ſumitur de ſyrmatibus veſtium, quae oblonga ſunt et ſuperflua, vt poſt tergum trahantur. Quam in ſignificationem interpretationemque abit CLERICVS ***), ſtatuens, nomen שרוע notare res, menſuram longitudine excedentes, prout in lingua Arabica longum cameli collum appellatur. Eamdem verbi notionem

*) Concordant. memorat. Tom. IV. p. 810.

**) laudat. commentar. ad h. v. p. 888.

***) Commentar. cit. ad h. l. p. 265.

nem propinant SAM. BOCHARTUS *), MATTH. POLUS **), et EDVARD. LEIGHIUS ***). Proinde haec dictio paulo preſſius, de vultu, aut naſo oblongo, vel depreſſo, videtur ſumta, ſi quidem omne indicat membrum, quod vel mutilum eſt, vel iuſtam reliquarum corporis partium excedit menſuram. Acute b. LUTHERUS diiudicauit vim huius verbi, quod reddidit per inſolens membrum, ſiue illud ſit iuſto longius, ſiue breuius.

§. XVI.

Reliqua corporis vitia enumerantur.

Commemorantur in commatibus 19 et 20 reliqua corporis vitia, in hominibus ad ſacerdotium promouendis penitius indaganda. *Vir, cui fuerit fractio pedis, vel fractio manus.* verſ. 19. Verbum שבר, fractio, dicitur Graecis συντριμμα, *laeſio, mutilatio*, quae membrum corporis concuſſum vel contuſum, vel etiam fractum, ad labores ſuſcipiendos, eosque difficiliores, reddit ineptum. Magiſtri Iudaeorum in examinandis ſacerdotibus, praeter fractionem pedis aut manus, alios quoque minutos et leues obſeruarunt naeuos, quales ſunt incrementa digitorum, defectus, aut mutilatio, nec non vſus eorumdem minus firmus, et rectus. Quam demumcunque ſeligas notionem

*) Hierozoici. Part. I. Lib. II. Cap. XLVI. p. 523.
**) Synopſ. Critic. in Script. S. Vol. I. p. 595.
***) Critic. S. V. T. p. 258.

nem, concedes, homines, hoc vitio pedum manuumque infectos, oneribus ferendis et rebus rite tractandis, prorſus fuiſſe impares. Augetur inſuper hoc corporis vitium deformitate, in his hominibus conſpicua. Occurrit porro verbum גבן, quod notat gibboſum. Ita montes, Pſalm. LXVIII. 16. 17. appellantur gibboſi, quia procliues ſunt, et ex profundo in altum exſurgunt. Veram huius verbi notionem, de loco excelſo, de monte, vel cacumine ex linguis Orientalibus expoſuit Sam. Bochartvs *). Graeci interpretes illam dictionem expreſſerunt per Κυρτον. Etenim homines gibboſi montibus, qui e profundo emergunt in altum, admodum ſimiles ſunt. Vt omittam, his hominibus non leuem adhaerere deformitatem, illi quoque ipſi plerumque macilenti ſunt ac infirmi, nec ad opera grauiora perficienda apti. Non praetermittere poſſum, nonnullos interpretes arbitrari, hoc nomine tangi viros, vel nullis, vel nimis interiacentibus et pendulis oculorum, ſuperciliis inſtructos, qui naeuus in ſacerdotibus eligendis, auctore Seldeno **), omnino obſeruabatur. Haud inficior, hanc maculam in Sacerdotum inaugurandorum luſtratione non eſſe praeteritam, mallem tamen priorem notionem, tanquam magis illuſtrem et ſobriam, adoptare. Vix enim credibile

*) Hierozoic. Part. I. Lib. II. Cap. XXXII. p. 316.
**) Lib. memorat. de Succeſſ. p. 229.

dibile eſt, Deum in tradendis regulis, ſacerdotes attingentibus, leuiores tantum corporis acie tetigiſſe labes ac deformitates, inſigniores autem et grauiores neglexiſſe.

§. XVII.

Idem argumentum traditur.

Sequitur nunc verbum דק, minutus, quod interpretes commemorati reddiderunt ἔφηλος, quod ſignificat maculam vel in facie, vel in toto corpore, conſpicuum. Enata inde ſunt ſententiarum diuortia. Alii quippe interpretes *) hoc nomen intelligunt, de tenui pelle, et cute, alii vero de nigra cute, alii tandem de puncto albo in oculis. IAC. BONFRERIVS **) annotavit, *hoc verbum* דק *ſignificare, mollem eſſe ac tenuem, ſed alios interpretes illud transferre ad oculos, ſeu ad faciem, quod fecerunt LXX. interpretes. Sed bene tamen addidit,* HESYCHIVM, *et alios commentatores, obſeruare, quod ἔφηλος is ſit, ὁ ἐφηλίδας ὥς ἥλυς ἔχων ἐις την ὄψιν, ephelum eſſe, qui ephelidas, quaſi clauos habet in facie. Exinde argumentatur* BONFRERIVS, *hanc dictionem ſua natura, et propria notione, ſignificare morbum, quo faciei color denigratur, et quaſi exuſta apparet, cum quadam aſpredine, et ſcabritie.* Non inficior, certa etiam vitia in cute et carne olim circa ſacer-

*) Waltonii Bibl. Polygl. ad h. l. p. 499.
**) Memor. Commentar. ad h. l. p. 684.

ſacerdotes luſtrandos, obſeruante SELDENO*), veniſſe in cenſum. Sunt vero huius generis, nigrities ad modum aethiopum, quo nomine Zipora**) Moſis coniux forte vilipendebatur ab Arone, et Miria. Num. XII. 1. albor porro cutis ad formam caſei, qui non raro indicia leprae ſecum ferebat. Accedunt puſtulae, color coccineus, atque labes, iam non recitandae. Minutae quidem auctoritatis hae videntur maculae; ſed, ſi legum diuinarum ſpectes rigorem, ſummamque, quam exigebant, in ſacris perſonis ſanctitatem, non miraberis diuini Numinis ordinem. . Praeter enim quam, quod ſacerdotes his legibus caſtitatis animi tenendae, et perpetuo excolendae redderentur memores, ipſe etiam cultus ſanctior reddebatur et religioſior. Sed redeo in viam, et ad intimiorem verbi דק vel חרק explicationem. Io. etiam CLERICVS***) non incommodam, ſed veroſimiliorem, ſubminiſtrat huius dictionis interpretationem, ſtatuendo, eam potius, de homine tenui, paruo, et puſionis ſtaturam referente, eſſe intelligendam. Quodſi enim ſacerdos tantae eſſet gracilitatis, et exiguae ſtaturae, non ſolum deformis, ſed viribus etiam valde infirmis praeditus aeſtimabatur. CLERICO ſuffragium addit

*) Lib. excitat. p. 232.

**) Leg. Schmalthii Diſſert. de Vxore Moſis Aethiopiſſa. in Theſaur. Philologic. V. T. fol. 350.

***) Memorat. Commentar. ad h. l. p. 265.

dit Lvdov. de Diev*) recte ſentiens, non tam de gracili et attenuata corporis ſtatura, quam potius de minuta et parua, hanc dictionem דק ſumi, prout Exod. XVI. 14. manna dicitur דק, *minutum*, et *paruum quid;* hinc דק hoc loco eſt homo, qui non iuſtae, ſed diminutae, eſt ſtaturae, nanus aut ad nanum proxime accedens. Inde etiam in lingua Aethiopica דק ſignificat puerum, et in Plurali דקיק pro verbo παιδια ponitur Matth. XIX. 13. Eam in ſententiam quoque abit Polvs **). Conſtat autem ex Seldeno ***), ſaepius laudato, hanc humilem et paruam ſtaturam omnino hominibus, prouinciam ſacram ambientibus, in vitio crimineque eſſe poſitam. Res inſuper indubitata eſt ac certa, eam eſſe huius verbi, obſeruante Gvssetio ****), vim, quam ex aliis quoque locis, potiſſimum Gen. XLI. 4. 6. 7., confirmat Calasivs *****). Nec abludit ab hac explicatione ipſa verborum compages. Egit enim ſanctiſſimus legislator in verſu proxime antecedente de homine gibboſo, atque digito quaſi indice vitia, quae totum attinent corpus, ſapienter notauit. Neminem vero fugit, puſiones noſtra quoque aetate

*) Animaduerſ. in Vet. Teſtam. ad h. l. p. 92.
**) Synopſ. laud. l. c. p. 595.
***) l. c. p. 332.
****) Commentar. Lingu. Ebr. ad h. v. p. 193.
*****) Concordant. Bibl. S. Tom. I. p. 1225.

aetate, ob iuſtae ſtaturae defectum, riſui, nec non contemtui aliorum eſſe obnoxios, ſed virtute etiam ac robore, ob totius corporis ſtructuram, plerumque deſtitutos. Vtrique vitio Deus hac lege adferebat medelam, ne ipſi ſacerdotes aliorum ſuſtinerent inter res ſacras opprobrium, neque etiam ipſorum vires, valde debiles ac infirmae, inter grauiores operas, in ſacris faciendas, forte deficerent. Bene ac ſapienter hac regula, in eligendis ſacerdotibus, Deum hominibus, quin et ipſi cultui ſacro, proſpexiſſe, ex vero dicendum eſt.

§. XVIII.

Reliqua corporis vitia eruuntur.

Dirigendus iam eſt calamus ad nouum corporis vitium, in verbo תבלל, quod albugo oculorum audit, ſitum. Graeci interpretes hoc nomen reddiderunt πτίλος τῶς ὀφθαλμῶς, albugo in oculis. Bernhard. Montfavcon*) obſeruat, verba ὑπόχυσις et λεύκωμα ab aliis eſſe poſita. Diſtinctum hic loci, ſi dictionis rite introſpicias poteſtatem, oculorum vitium, ab oculorum coecitate aliquantisper diuerſum, traditur. Iac. Bonfrerivs**) ſcite obſeruat, בלל *ſua natiua notione denotare, miſcere, confundere, inde pleroſque interpretes labem, hoc nomine notatam, quaerere in oculis. Latinum*

*) Origenis Hexapla. Tom. II. ad h. l. p. 139.
**) Commentar. in Pentateuch. ad h. l. p. 685.

num autem interpretem hoc verbum reddidiſſe, depalperatum, ſeu, cui palpebrae et ciliorum pili defluxerunt. Sed rectius ſumi; de albugine in oculis, vel de alia macula, v. g. ſi quis oculos diuerſis habeat coloribus. Ioannes Clericvs *) hoc vocabulum interpretatur per impetiginem oculorum, quem morbum Aegyptiis familiarem fuiſſe Plinii auctoritate confirmat. Alii commentatores hocce verbum intelligunt, de ſuffuſione alba in nigritie oculorum, quae viſum impedit. Nec male alii hoc morbi genere ſubintelligunt oculorum lippitudinem, quando crebriores, immo fere continuae, ex oculis defluunt lacrimae ſeu guttae, quibus oculorum acies difficilis redditur et obſcura. Agunt de his oculorum morbis, in ſacerdotibus perluſtrandis atque arcendis, Seldenvs **) et Svrenhvsivs ***). Quem demumcunque ſeligas definiasque oculorum naeuum, ſiue impetiginem, ſiue ſuffuſionem, ſiue denique lippitudinem, ſatis eſt, illud vitium homines, ſacris iam initiandos, ab officio capeſſendo repuliſſe. Nemo enim non videt, ſacerdotes, oculorum vitio laborantes, ad luſtranda et offerenda ſacrificia, nec non alia ſacra in templo facienda, fuiſſe prorſus ineptos. Satius igitur erat, hos viros a cancellis repellere ſacris, quam permittere, vt peccatum impru-

*) Commentar. l. c. p. 265.
**) Lib. memorato, de Succeſſione. p. 230.
***) Leg. Miſchnic. Part. V. p. 173.

denter committeretur, atque cultus contaminaretur religioſus.

§. XIX.

Eadem tractatio protrahitur.

Nouum commemoratur corporis vitium, quod dicitur גרב, ſcabies, ſiue illa ſit perpetua, ſiue tranſiens, attamen purulenta, quae Graecis interpretibus dicitur ψωρα ἀγρια. Quod morbi ſcabieique genus Deus minatur Iudaeis, a Deo deficientibus. Deut. XXVIII. 27. 60. Graeci interpretes habent ψωρα ἀγρια. Foediſſimum haec ſcabies aeſtimabatur morbi genus, ſiue illa ſit ſicca, ſiue humida, quae non procul abeſt a lepra, vti *Critici Anglicani* *) arbitrantur. Quam in ſententiam etiam abeunt Clericus**), Henr. Stephanus ***) et Bonfrerius ****). Additur in lege diuina alia corporis immundities, quae appellatur ילפת, a Graecis interpretibus dicta λειχην λειχηνια quae occurrit Leu. XXII. 22. Saepe laudatus Bochartus *****) copioſe de hoc morbo diſputat, illumque appellat impetiginem ſeu porriginem Aegyptiacam. Suffragium

*) ad h. l. p. 852.
**) Commentar. laudat. p. 265.
***) Theſaur. Lingu. Graec. Tom. IV. p. 758.
****) Commentar. memorat. p. 685.
*****) Hierozoic. Part. I. Lib. II. Cap. XLVI. p. 522.

gium Bocharto adiicit Bonfrerius *) his verbis: *LXX Interpretes per λειχην reddunt, de lepra, vel ſcabie Aegyptiaca. Credibile eſt, non perpetuam et veram lepram hoc nomine intelligi, quia alias hic ſacerdos non poterat accedere ad atrium ſanctum, neque frui panibus propoſitionis, quorum vſus tamen his ſacerdotibus erat licitus, de quibus immundis et leproſis agitur Cap. XXII. 4. Omnis homo, de ſemine Aronis, qui fuerit leproſus, aut fluxu ſeminis laborans, non veſcetur his, quae mihi ſanctificata ſunt, donec ſanetur.* Certum eſt, auctorem ſacrum hoc verbo aliquid diſcriminis innuiſſe, quia diuerſis in re, non prorſus diſſimili, vſus eſt nominibus. Matth. proinde Polvs **) autumat, verbum ילפת ſuo natiuo ſignificatu denotare ſcabiem perpetuo adhaerentem, nullamque admittentem medelam. Prior autem ſcabiei ſpecies ipſi videtur ita comparata, vt ei adferri potuerit remedium. Quae perſuaſio ſi certo ſtaret talo, ſacerdos hac labe contaminatus ad certum tantum tempus a rebus ſacris erat ſeparandus. Quidquid autem huius rei ſit, certum eſt atque indubitatum, haec duo nomina diuerſum ſcabiei genus a lepra indicare, quia ſacerdos, lepra infectus, a commercio hominum prorſus erat amouendus, nec victu, ſacerdotibus in lege dato, frui poterat. Attraxit tamen haec ſcabies ſacerdotibus non ſolum in-

*) l. c. p. 685.
**) Synopſ. Vol. I. ad h. l. p. 595.

inſignem corporis deformitatem, quae in hominibus ſcabioſis conſpicitur, ſed illos etiam a re arcuit ſacra. Impedit enim hoc morbi genus validum manuum vſum, et materia purulenta defluens ſacrificia et munera, Deo offerenda, turpiter contaminat. Si itaque homines gregarii, hac immunditie conſperſi, eſſent ſegregandi, multo magis ſacerdotes, qui ſanctiſſimum ingrediebantur locum, et res Deo ſacras tractabant, a ſua ſtatione erant remouendi, ne vel loci ſanctitas, vel rerum ſacrarum integritas, vel denique Summi Numinis laederetur dignitas. Quodſi enim leuis macula corporis lotione in ſacerdotibus, munus adminiſtrantibus, erat repurganda, multo minus in illis ſcabies, quae corpus defoedabat, et victimas oblationesque contactu conſpurcabat, toleranda. Nihil profecto hac in lege eſt, quod iuſto nimium, quod ſuperfluum, quod minutum.

§. XX.

Tractatio, de corporis vitiis, abſoluitur.

Tractationi de corporis vitiis, in ſacerdotibus explorandis, impoſiturus Colophonem, reliquum eſt, vt vltima verba augeam commentatione. Remouendus a ſacra prouincia quoque erat מרוח אשך, *contuſus teſticulo:* quod vitium graeci nominant μονορχιν: *contuſum, concuſſum, hernioſum* eſſe. Dirigendos fuiſſe oculos, in luſtrandis ſacerdotibus, ad hoc vitium

tium, annotauit Seldenus *). Obſeruauit Gussetius **); verbum אשך ſemel tantum occurrere in hoc, quem tracto, loco, nomen autem מרוח, legi Ieſ. XXXVIII. 21. de ficuum maſſa, in emplaſtri vſum praeparata. Significat autem pinſere, contundere, miſcere. Poſita hac huius nominis notione, putat Gussetius, intelligi concuſſionem teſticulorum, ſeu Θλιβίαν, cui facinori leges a Romanis eſſent poſitae, ne puerorum concuterent teſticulos, illisque vim gignendi adimerent. Diſplicet ipſi interpretatio Graecorum, per μονορχιν reddita, herniosum, quia hernia non inuolueret teſticulorum concuſſionem. Quodſi vero etiam concedatur, hac lege agi, de hernioſo; proſtat tamen Deut. XXIII. 2. lex diuina, hominibus concuſſis et exciſis non integrum fuiſſe, venire in coronam ſacram. Poſita hac norma, ſatis plana, tutum et firmum argumentum eſt, multo minus ſacerdotibus contuſis et exſectis fuiſſe licitum, ad ſacra obeunda accedere, cum vel homines gregarii a ſacris Iudaeorum in templo conuentibus excluderentur. Parum, ſi recte ſentio, intereſt, vtrum hoc nomine intelligas hernioſum, vel hominem contuſis teſticulis laborantem, vel denique euiratum, quia haec corporis vitia naturae, et virtuti viri, aduerſantur. Videtur tamen Hieronymo

*) l. c. p. 231.
**) laud. Commentar. ad h. v. p. 99.

NYMO*), hic loci potiſſimum ad homines herniofos reſpici, et concuſſos, quia illi debili gaudent virtute, nec firma ſatis fruuntur valetudine. Ecquis non ſtatim intelliget, hos viros, ob morbum et infirmitatem, ad labores graviores ſubeundos minus eſſe compoſitos. Vt nihil dicam de deformitate, ob tumorem teſticulorum ipſis adhaerente. Prolixam autem et eruditam commentationem in haec corporis vitia inſtituit BOCHARTVS**), praeſertim cum de his naeuis, in ſacrificiis obuiis, Leuit. XXII. 22. 24. ex inſtituto agatur. Demonſtrat, illa vitia, ſiue in concuſſione, ſiue exciſione teſticulorum conſtiterint, victimas e re ſacra proſcripſiſſe. Nec gentiles ab hac conſuetudine fuiſſe alienos confirmat. Facile igitur eſt dictu, Deum eamdem in ſacerdotibus eligendis obſeruaſſe rationem. Haecce ſunt illa, quae leges Moſaicae commemorant corporis vitia, quae homines a munere, in templo ſubeundo, arcere poterant. Placet nunc breuem aliquam in has regulas inſtituere commentationem.

§. XXI.

De harum legum aequitate.

Quae hactenus, de vitiis corporis in ſacerdotibus perluſtrandis et initiandis, protuli argu-

*) Opp. Tom. I. Commentar. ad h. l. p. 133.
**) l. c. p. 523.

argumenta, nonnullis adhuc augenda ſunt obſeruationibus. *Primo* bene tenendum eſt, Deum his in mandatis ſummatim commemorare corporis naeuos, eosque grauiores atque inſigniores, ita tamen, vt minuti et leuiores ſimul his comprehendantur nominibus. Quicquid enim maculam, et corporis deformitatem, ſecum tulit, id ipſum hominem, alias familiae Aroniticae et tribui Leui adſcriptum, dignitate priuabat ſacerdotali. Certo tamen eſt certius, has leges eſſe maxime aequas, Deoque dignas. Indignum fuiſſet tanto legislatore, ſi illae leges, in eligendis hominibus ad ſacerdotium, ſine diſcrimine, ſiue mundi et integri, ſiue vitioſi eſſent atque infirmi, modo natales ex ordine ſacro ducerent, a Deo eſſent datae. Laedebatur, ni fallor, horum imperatorum dignitas, ſi Deus ſine diſcrimine, et certa conditione, homines, ſacris admouendos, demandaſſet coecos, claudos, gibboſos, ſcabioſos, et alia lue corruptos. Exſpirabat *ſecundo* finis, qui erat, vt tam ſacrum miniſterium in templo rite tractaretur. Impediebant haec, quae commemoraui, corporis vitia res ſacras, et ipſum cultum, qui ſanctiſſimus eſſe debebat, reddebant impurum, et in animis hominum vilem. Quin et ipſarum legum humanarum natura ſemper ſupponit hominem iis, quae ad illas ſeruandas requiruntur, animi aut corporis dotibus feliciter inſtructum. Nihil igitur his inſtitutis Deus deman-

mandauit, niſi quod ſua perſona dignum, quod cultui ſacro conforme, ac decorum, quodque ex officii ratione praeſtari poſſit. Quam imperatorum diuinorum aequitatem *tertio* confirmo argumento. Quamuis enim laudatae leges, de ſacerdotibus prolatae, eſſent admodum rigidae et graues, ſummum tamen in illis conſpicitur temperamentum. Obſeruauit enim Seldenvs *), Iudaeorum magiſtros ſatis bene diſcrimen conſtituiſſe inter haec corporis vitia, vtrum eſſent perpetuo adhaerentia, an vero tranſitura, et certo tempore et vſu medicamentorum auferenda. Prioris generis vitia homines, ad ſacerdotium adſpirantes, perpetuo repellebant, quia illis nulla prorſus medela adferri poterat, nec firma corporis integritas exſpectanda. Poſterioris autem generis naeui aliquod admittebant medicamen, et proinde ad certum tantum tempus ſacerdotes impuros reddebant, et ad res ſacras agendas inertes. Si itaque ſacerdos ſcabie inficeretur, aut leue aliquod oculorum pateretur vitium, adhibitis mediis remouendum, ſanitati integritatique reſtitutus ſuo defungebatur officio. Iniquum enim foret, ſacerdotem, graui quidem, ſed non diuturna, macula aut morbo affectum, ſua dignitate priuare, et ex albo ordinis ſacri prorſus extinguere.

§. XXII.

*) l. c. p. 233. ſeq.

§. XXII.

De ſacerdotibus, ſe rebus ſacris temere ingerentibus agitur.

Monendum eſt *quarto*, legibus eſſe ſancitum, ne quis ſacerdos, immunditie aliqua conſperſus, ſe rebus ſacris temere ingereret. Si vero acciderit, vt ſacerdos, aliqua labe laborans, temerario conatu ad negotia ſacra accederet, pro diuerſitate ſceleris, teſte SELDENO *), poena adficiebatur. Nec enim ſolum loci ſanctitas profanabatur, ſed ipſa etiam ſacrificia contemerabantur. Notum quipe eſt ex Gentilium inſtitutis, vt ſanctiſſimas populi Iudaici omittam leges, homines profanos, et impuros, qui ipſis dicuntur βεϐηλοι, a ſacris repulſos eſſe locis. Βηλος graecis eſt locus ſacer, inde βεβηλοι, homines profani, et impuri, qui vel ſcelere vel immunditie erant polluti, quod verboſius docent Io. BRAVNIVS **), SEB. SCHMIDIVS ***) et SVICERVS ****). Quae cura circa res ſacras Iudaeis, legibus hanc in rem euulgatis, inprimis erat demandata, vti exponit SELDENVS *****). Nec mirum

*) l. c. p. 234.
**) Commentar. in Epiſt. ad Hebr. Cap. XII. 16. p. 868.
***) Commentar. in Epiſtol. ad Hebr. ad h. l. p. 1044.
****) Theſaur. Eccleſiaſt. Tom. I. ad h. v. p. 678.
*****) Iur. Nat. et Gent. iuxta Diſcipl. Ebr. Lib. VII. Cap. III. p. 840.

mirum eſt, ſanctiſſimum Numen homines ſcelere, vel etiam labe aſperſos a ſacris repuliſſe, cum ipſi gentiles tantam ſollicitudinem, ne ſacra violarentur, obſeruarint. Quod argumentum ex antiquitatibus neruoſe tradit FILESACVS *). Imitati ſunt poſtea eamdem conſuetudinem ſatis laudandam Chriſtiani, et in tractando S. Euchariſtiae myſterio a ſacris non ſolum ſceleratos, ſed et Catechumenos, tanquam impuros, et nondum aqua ſacra luſtratos, arcuerunt. Qua de conſuetudine legi poſſunt ISIDORVS HISPALENSIS **), CLAVD. FLEVRIVS ***) et LVD. THOMASSINVS ****). Quae quum ita ſint, nihil prius, nihilque ſanctius, eſſe debebat ſacerdotibus, ad ſtationem in templo abituris, mentis ac corporis caſtitate. Se ipſos explorare debebant, vtrum puri, et nulla, vel etiam improuiſa, et fortuita macula contaminati accederent, ne cultui obeſſent ſacro. Quo vero minus hoc accideret, nomina ſua coram viris, rebus ſacris in templo praefectis, profiteri, et luſtrationem ſubire, tenebantur. Si labem interea per ſomnum, aut contactum rei impurae, aut alio quodam negotio forte contraxerint, lotione ſe repurgare neceſſe habebant. Quod ſi negligerent examen, et illotis, quod

*) Selector. S. Lib. I. p. 132.

**) Lib. VI. Origin. Cap. XLIX. p. 80.

***) Les Moers des Chretiens. §. 14. p. 47.

****) Vet. et Nov. Diſcipl. Eccleſiaſt. Tom. I. Part. I. Lib. II. Cap. 76. p. 460.

quod dicitur, manibus, ſe ad res ſacras tractandas accingerent, non ſolum e cancellis ſacris eliminabantur, ſed poena etiam, ſua ipſorum temeritate digna ex regulis, eum in finem conſtitutis, coercebantur.

§. XXIII.

Prouidentia Dei, de ſacerdotibus vitioſis honeſte alendis, depraedicatur.

Depraedicanda *quinto* loco eſt propenſa Summi Numinis voluntas, qua ſacerdotibus, corpore vitiatis, de alimentis, quo vitam honeſte tolerare poſſent, ſapienter proſpexit. Accidere ſolet, vt homines a natalibus inde, ſine culpa, corporis ſuſtineant vitium, ſeu illud aliquo caſu poſtea patiantur. Quodcunque his viris, ſobole Aronitica ortis, adhaereret corporis vitium, ſiue fuerit natiuum, ſiue caſu, ſiue denique morbo, contractum, illud ipſos prouincia, in templo obeunda, priuabat. Gaudebant tamen ordinis ſacri dignitate, priuilegiis, atque emolumentis. A vero non abludit, hos viros, a re ſacra ſegregatos, operam ſuam, inſtitutionibus priuatis et lectionibus, in Synagogis poſtea inſtitutis, impendiſſe. Hocce vero inprimis tenendum eſt, hanc legem proxime reſpicere ſacerdotum, familia Aronitica ortorum, ordinem, cuius ratio erat habenda, ne poſteri, hac illuſtri ſtirpe nati, venirent in contemtum, et dura premerentur paupertate. Quanto

Quanto vero maior horum hominum, ob corporis maculas officio priuatorum, calamitas, tanto benignior eſt Dei erga illos munificentia, commate 22. declarata, *debet tamen veſci pane Dei, tam ſancto, quam ſanctiſſimo.* Quae fuerit ratio circa alendos hos viros vitiatos, ex Hebraeorum inſtitutis plenius tradit SVRENHVSIVS*). Integrum quippe erat his viris, valetudine perpetua laborantibus, non ſolum decimis annuis, ordini ſacro adſcriptis, ſed pane etiam ſanctiſſimo, in menſa aurea propoſito, frui, quo beneficio homines gregarii iure diuino deſtituebantur. Quin immo participes fiebant reliquiarum a ſacrificiis et donis, ordini ſacerdotum lege diuina ſacrarum, quo honeſte viverent, et ſine aliorum ſtipendiis atque incommodis alerentur. Quo ſolatio ac emolumentis eo magis digni aeſtimabantur, cum hominibus gregariis, ſacrificia voluntaria offerentibus, licitum eſſet, partibus, ad vſum communem deſignatis, libere veſci. Deut. XII. 6. 7. Huc ſine controuerſia reſpicit diuus Paullus: *videte Iſrael ſecundum carnem; nonne, qui ſacrificiis veſcuntur, ſunt in communione altaris?* 1. Cor. X. 18. Quae fuerit conuiuiorum publicorum, oblatis iam Summo Numini ſacrificiis, ratio, vberius commemorant SPENCERVS**), SAV-

*) Leg. Miſchnic. Part. III. p. 224.

**) Leg. Hebr. Ritual. Lib. III. Diſſ. II. Cap. II. p. 660.

Savbertvs *) et Filesacvs **). Voluit, mea ex ſententia, Deus horum hominum, ſine culpa et crimine vitioſorum, ſublevare inopiam, et iisdem, de victu atque amictu, ſapienter prouidere, ne viri, familia Aronitica nati, ſed corporis vitio commaculati omnium rerum ſuſtinerent indigentiam, et ab aliis turpiter deſpicerentur. Quae ſi nunc expendas, intelliges, hos homines, non natalium dignitate et emolumentis, ſed munere ſolum peragendo, fuiſſe priuatos.

§. XXIV.

De acceſſu, ſacerdotibus vitiatis ad velum et altare denegato, diſſeritur.

Notatu adhuc digna ſunt verba, verſibus **21.22.et23.** obuia: *Non accedet ad offerendum* אישי יהוה, *ignita Iehouae: neque accedet ad offerendum* לחם אלהיו *panem Deo ſuo.* Porro: *non intrabit* אל־הפרכת *intra velum; et non accedet ad altare* ואל־המזבח. Breui admodum commentatione haec verba in noſtra tractatione Philologica ſunt augenda. Leuidenſes nonnullae circa commemorata verba occurrunt variationes. Origenes ***) legit τα δωρα, ad offerenda munera, ſeu dona; Graeci

*) Lib. de ſacrificiis Cap. XXXVI. p. 200. ſeq.

**) Select. S. Lib. I. Cap. VI. p. 83.

***) Origenis Hexapla Tom. memorat. l. c. edit. Montfaucon.

Graeci vero interpretes habent τȣς ἄρτȣς; *paneſ*. Eadem eſt variatio, in verbis: *non ingredietur*, quae alii interpretes reddunt: *non appropinquabit ad altare, et velum.* *Primo* his in regulis ſacerdotibus, vitio maculaque corporis laborantibus, impoſitum erat, vt ſibimetipſis cauerent ab acceſſu ad menſam auream, quia panes facierum ſeu ſacri in ea quotidie erant reponendi, et poſtea auferendi, nec non a ſacerdotibus edendi, qui locus aeſtimabatur ſanctiſſimus. Nolo hanc menſam auream, eiusdemque ſitum, ſtudioſius deſcribere, quam deſcriptionem ex optimis Antiquitatum Hebraicarum auctoribus ſolidius dedit ſaepe laudatus Carpzovius *). Ea tamen ipſis affulſit felicitas, vt panibus ſacris, cum reliquis ſacerdotibus, veſci poſſent. *Secundo* moneo loco, hos commemoratos Sacerdotes mutilos ac vitioſos non potuiſſe intrare loca, quae ſacerdotibus erant ſacra, qualia erant acceſſus intra velum, et ad altare. Recte obſeruat Polus **), non ſolum hoc veli nomine ipſum ſanctiſſimum intelligendum eſſe locum, quem die ſolemnioris

*) in Apparatu Hiſtorico Crit. ad Antiquitt. Hebr. Lib. II. Cap. I. p. 277. ſeq. conf. Spanhemius in Obſeruatt. ad Leuit. XXIV. Opp. Tom. III. p. 706. Waltheri Diſput. de Menſa et Panibus facierum, et Schlichteri Commentat. de Panibus facierum, eorumque Myſterio.

**) Synopſis memorat. l. c. p. 596.

ris expiationis ſolus ſalutabat Pontifex M. ſed interiorem etiam templi partem, a ſanctuario ſeparatam, et velo circumcinctam, quam ſacerdotes, ſacra facientes, omnino occupabant. Res inde eſt expedita atque plana, his verbis tam ſacerdotes inferiores, quam Pontificem M., tangi. Etenim ſacerdotes inferiores quotidianis defungebantur ſacrificiis, et cultu diuino, adeoque intra velum exterius, ſeu ad interiorem templi partem accedebant, nec non menſae aureae inſeruiebant; nihilo minus Pontifex quoque M. intelligi poterit, quia, die expiationis, his cultus religioſi officiis defungebatur, atque intra velum interius ingrediebatur. *Tertio* ſacerdotes contaminati accedere non poterant ad altaria, neque interius, neque exterius, vt offerrent victimas, atque ſuffitum incenderent. Agunt de horum altarium ſitu Ligtfootvs *) et Carpzovivs **), atque exponunt, nemini, niſi ſacerdotibus integris, ad illa patuiſſe acceſſum. Vnicum ſaltem per tranſennam circa haec altaria, in quibus ſacrificia immolanda, et ſuffitus faciendi, obſeruare volupe eſt argumentum, hac in commentatione non praetermittendum. Conſtat, aram interiorem victimis offerendis inprimis fuiſſe ſacram, atque illuſtri nomine

*) Opp. Tom. I. in Deſcript. Templi Hieroſolymit. p 550. ſeq.

**) commemorat. Apparat. Critic. ad Antiquitt. Lib. II. Cap. I. p. 259. ſeq.

nomine mediatoris dictam. Cuius nominis, admodum inſolentis, quatuor adducunt DAV. MILLIVS *) et IO. HAMMIVS **) cauſas. *Prima* eſt, quia medias inter atrium Iſraelitarum et ſanctuarium occupauit partes. *Secunda*, quia Iſraelitae, cum Deo in gratiam redituri, oblata victima, hac in ara immolanda, ad Deum expiandum acceſſerunt. *Tertia*, quia hoc altare illis, qui caedem inſcienter commiſerant, praebuit aſylum. *Quarta*, quia Iſraelitae, ſacrificia votiua et voluntaria adferentes, reliquiis veſcebantur, et hocce modo demonſtrabant, ſe nunc aditum habere ad altare ſeu potius ad Deum, ſacrificiis expiatum. In viam redeo, obſeruoque, omni acceſſu ad velum, ad menſam auream, nec non ad altaria ſacra excluſos eſſe ſacerdotes corruptos, ne rebus in his ſanctiſſimis locis tractandis attraherent maculam. Facile tamen BONFRERIVS ***) me habet conſentientem, hos, quos modo dixi, ſacerdotes frequentare potuiſſe atrium ſanctum, nec minus reliquiis ſacrificiorum partibus, cum ſacerdotibus et hominibus gregariis, frui, abſtinere tamen debuiſſe veſtibus ſacerdotum, vt eo melius a ſacro ſacerdotum ordine diſcernerentur. Putarem, hos ſacerdotes, corpore vitiatos atque deformes, et ad officia in templo per-

*) Diſſert. Select. III. de Altari Mediatore p. 57.
**) Exercit. Philologic. de Ara Interiore Part. I. Cap. IV. p. 25.
***) Commentar. laudat. p. 685.

perficienda inertes, rarius, et non niſi ſolemnioribus Iudaeorum celebritatibus, frequentaſſe templum, ſed in ciuitatibus, tribui Leuiticae adſcriptis, tranquille vitam tranſegiſſe, quia his in vrbibus et pagis neceſſaria vitae tolerandae deprehendebant ſubſidia. Sufficere enim poterant hae ampliſſimae vrbes et reditus largi ad recipiendos, alendosque ſacerdotes, et Levitas, tam corpore corruptos, quam ipſa ſacra adhuc tractantes. Nec poterat vlterius horum vitioſorum ſacerdotum praeſentia res in templo peragendas iuuare, ſed aliis potius movere contemtum, quare illos in locis commemoratis delituiſſe arbitror. Abſolui itaque, paucis vſus paginis, argumentum, quod de ſacerdotibus, corporis vitiis laborantibus, iuxta regulas Moſaicas, ex inſtituti ratione erat diluendum, praeteritis illis rebus, quae hanc tractationem e longinquo tangunt. Conſtitutum enim erat, me intra anguſtos continere limites, vt rei tractandae eo melius inſeruirem. Placet nunc, de nucleo neruoque harum legum, de ſacerdotibus vitioſis traditarum, paulisper adhuc diſſerere.

§. XXV.

Meditatio ad has leges prima adfertur.

Expoſui hactenus harum legum diuinarum verba et interpretationem. Quo vero nervus earumdem in plenam producatur lucem,

placet, haec ipſa imperata, de vitioſis ſacerdotibus data, meditationibus nonnullis augere, et commentationibus. *Prima* tangit harum regularum ſenſum, exponitque eas non in ſenſu eminentiori, quem moralem aut myſticum appellamus, ſed proprio, et litterali, ex veteris Teſtamenti ratione, in legibus vſitata, eſſe intelligendas. Equidem haud inficior, his in mandatis, prout in reliquis ritibus et caeremoniis Moſaicis, aliquid myſterii et arcani latere; ſed, ſi primum et principem huius normae reſpicias ſcopum, certo eſt certius, a littera non eſſe recedendum. Verba enim luculenter docent, Deum de integritate corporis, in ſacerdotibus inquirenda, inprimis agere, ita tamen, vt animi non excludatur caſtitas. Miror proinde, qua ratione THEODORETVS, aliique Patres, ad myſticam huius legis interpretationem prolabi potuerint, ſuo ingenio et ſtudio allegorico iuſto nimium indulgentes. Non tamen tantopere miror, THEODORETVM ad allegoricum ſcripturam ſacram interpretandi prolapſum eſſe genus, quia dudum obſeruauit PETR. DAN. HVETIVS *), illum ORIGENEM eiusque ſtudium amaſſe, in excogitandis allegoriis conſpicuum. Adducam THEODORETI **) Epiſcopi Cyrenſis interpretationem, piam quidem, ſed non accuratam, his verbis

*) in Origenianis Lib. II. Cap. IV. Sect. II. §. XXV. p. 220.

**) Opp. Tom. I. Quaeſt. XXX. ad Leuit. p. 135.

bis traditam: *Δια των ἀκȣσιων παθηματων ἀπογορευων τα γνωμικα. Τυφλοτης μεν γαρ ὀφθαλμων την της γνωσεως ἀνιττεται ςερησιν. Εκτομη δε ὠτος την παρακοην, κ. τ. λ.* *Per affectiones non ſponte ſuſceptas prohibens eas, quae procedunt a voluntate. Oculorum quippe occoecatio, cognitionis inopiam ſignificat; auris amputatio, inobedientiam.*

§. XXVI.

Debellatur haec ſententia.

Nimis ingenioſa mihi videtur haec THEODORETI, et reliquorum, qui ipſum ſequuntur, Patrum interpretatio. Moneo itaque *primo,* hanc interpretandi rationem, a Patribus, THEODORETO inprimis et ORIGENE, adhibitam,, ſtudium redolere allegoricum, quod multum incommodi rei Chriſtianae in prima attulit Eccleſia*). Quamuis enim lubens cum HVETIO**) faciam, morem interpretandi ſacra oracula ex allegoriae fontibus ORIGENE eſſe antiquiorem, et forte a PHILONE Iudaeo, homine Aſcetarum ſocietati addicto, repetendum, non tamen a me impetrare poſſum, vt illum meo augeam calculo. Planum enim eſt, religionis Chriſtianae hoſtes, e quibus CELSVM appello

*) Hiſtoire de l'Origenisme. Liv. IV. p. 140. ſeq. conf. Io. Franciſc. Buddei Exercitat. Hiſtor. Theolog. de Allegoriis Origenis.

**) in Origenian. Lib. II. Cap. III. Quaeſt. XIII. §. III. p. 175.

pello, Chriſtianos, hanc ob interpretationis regulam, ludibrio expoſuiſſe. Labaſcit inſuper ſenſus veri, et natiui vis, et veritati diuinae non leuis adfertur incertitudinis macula. *Secundo* obſeruo, in explicandis mandatis diuinis, quod in legibus etiam ciuilibus atque inſtrumentis publicis habet locum, a ſenſu verborum proprio ac litterali, niſi vrgeat neceſſitas, non eſſe recedendum. Semper ſcopus, quem ſcriptor ſacer proxime intendit, eſt indagandus, nec ſomnia diuinis effatis imprimenda. Si haec procederet interpretandi ratio; nemo non ingenioſus Chriſti miracula imminueret, atque infirmaret. Ecquis non verba Chriſti, Matth. XI. 5. ſeq. de coecis, de claudis, de leproſis, et de mortuis in vitam reuocatis prolata, explicaret, de hominibus, luce diuina colluſtratis, de hominibus, inquam, vita diuina donatis, et vitam iam Chriſtiano nomine dignam gerentibus. Denotauit, quod in propatulo eſt, Deus hac in diſciplina, Iudaeis tradita, corporis vitia, oculis conſpicienda, et a ſynedrio diiudicanda, quae in eligendis conſtituendisque ſacerdotibus ſub cenſuram erant vocanda. Nec *tertio* loco praetermittendum eſt, Iudaeorum magiſtros non tam hebetes fuiſſe atque ſtupidos, vt non primo ſtatim oculo harum legum intelligerent vim atque nutum. Quin et Deus ipſe nunquam eſſet paſſus, vt in cultu diuino aliquid, quod ipſius imperatis contrarium erat, admitteretur. Quanta vero,

ro, quaeſo, regulis diuinis illata eſſet iniuria, ſi Hebraeorum Doctores illas non ſatis bene intellexiſſent, et easdem in ſenſu morali ac myſtico explicaſſent. Aſt aduerſatur huic interpretationi vſus, qui docet, ſacerdotes, graui aliquo corporis vitio ac macula conſpurcatos, a ſacris faciendis eſſe amotos. Quodſi nunc rem vtroque ſpectes latere, certum eſt atque indubitatum, finem horum imperatorum principem, atque omnium primum, in corporis integritate eſſe ſitum, ita tamen, vt ſecundus non excludatur ſcopus. Eam eſſe Calovii *) ſententiam, Patrum interpretationes commemorantis, conſtanter credo. Vtrumque finem iam demonſtrabo diligentius.

§. XXVII.

Meditatio altera proponitur.

Finis mandatorum commemoratorum princeps, meo iudicio, eſt corporis dexteritas, ad munera in cultu Leuitico, admodum grauia, rite et dextre ſubeunda. Scopus autem poſterior, procul dubio, fuit tacita ſecretaque, quae ſub his legibus latet, de caſtitate animi fortiter tenenda, admonitio. Primum ſi nunc contempleris finem, conſtat, difficiliores ſacerdotibus obeundos fuiſſe in re ſacra labores, qui corporis firmitatem requirebant, et robur. Totum fere illorum munus redibat ad ſacrifi-

*) Bibl. Illuſtrat. ad h. l. Leuit. p. 550.

cia introſpicienda, eademque attentis oculis exploranda, ne quid impuri Deo offerretur. Mactandae erant victimae, diſſecandae, et ad altaria baiulandae. Eadem ipſis impoſita erat provincia in donis, fertis et oblationibus, Deo ſacris. Opus profecto graue, cui ferendo non omnium hominum, multo minus aegrotorum, infirmorum ac mutilorum, vires ſunt pares. Deſiderabis certe hoc virium robur in homine hernioſo, gibboſo, atque mutilis inſtructo membris. Nec coecus aptus erat ad accuratum examen victimarum, ſacrificiorum et munerum ſacrorum, dextre inſtituendum. Quanta vero cura in luſtrandis ſacrificiis a ſacerdotibus fuerit adhibenda, prolixius tradunt SVRENHVSIVS*) et GVIL. OVTRAMVS**). Multum inde lucis recipit effatum Paullinum: παντα γυμνα, και τετραχηλισμενα τοις ὀφθαλμοις αὐτȣ: *omnia ſunt nuda et detecta eorum ipſius oculis.* Hebr. IV. 13. Quod oraculum nervoſa auget commentatione IO. BRAVNIVS***). Lynceis profecto oculis perluſtrare debebant ſacerdotes ſacrificia tam viua, quam mactata, atque explorare inteſtina, ne vlla macula his internis adhaereret partibus, victimamque iam immolandam Deo ingratam redderet ac impuram. Addo, ſacerdotem ſcabie, ſeu alio morbo

*) Leg. Miſchnic. Part. V. p. 114.

**) Lib. de ſacrificiis Cap. XVI. et XVII. p. 160. ſeq.

***) Commentar. in Epiſtol. ad Hebr. ad h. l.

bo; infectum ipſo contactu ſacrificia et dona, Deo deferenda, turpiter commaculaſſe. Quodſi vero his in rebus admitteretur vitium, ipſe cultus contemerabatur diuinus. Satius itaque erat, homines, vitioſo corpore laborantes, a ſacris arcere cancellis, quam ipſam profanare religionem. Nec ſolum ſacrificia et munera luſtrandi et examinandi demandata erat ſacerdotibus prouincia, ſed domos etiam et homines lepra, ſeu alia quadam immunditie, infectos introſpiciendi facultas, Leuit. XIV, quam rem vberius tradit SVRENHVSIVS *). Summa certe, hacce in ſacrificiorum donorumque ſacrorum luſtratione, opus erat oculorum acie, vt iuſtam et veram, de lepra et aliis rebus immundis, ſententiam ferrent ſacerdotes.

§. XXVIII.

Meditatio tertia commemoratur.

Nefas eſt, ſilentio tertiam inuoluere rationem, qua Deus his legibus ordinis ſacri dignitati conſulere voluit, ac grauitati, quae alias facile venire poterat in periculum, nec non opprobrium. Etenim homines, corpore deformes, ſua natura et aſpectu aliis mouent nauſeam, ſibique metipſis, ſine ſua ipſorum culpa, attrahunt contemtum. Putaueriſne, ſacerdotibus in gente Iudaica, quos grauitas ornare de-

 bebat,

*) Leg. Miſchnic. Part. VI. Tr. de Plagis leprae. p. 220. ſeq.

bebat, claudis, coecis, luſcis, et aliis inſigniori-bus corporis maculis laborantibus, ſatis tuto committi potuiſſe negotia, in templo peragenda? Crediderisne, illorum deformitatem nullum aliis hominibus inieciſſe faſtidium? Pone, quaeſo, ſacerdotem, cuius neque pes, neque manus, facit officium. Annon illum ad munera ſacra, eaque difficiliora, tractanda iure dixeris inertem, et male compoſitum? Ne igitur vlla labes ipſi, ac toti ordini ſacro, attraheretur deſpectus, ſapienti Deus conſilio illum a ſacris faciendis repellendum demandauit. Quae diſciplina etiam in ſacerdotibus obtinuit locum, qui corpore, iam multis laboribus fracto, ſua ex ſtatione decedebant. Ni fallor, haec ipſa imbecillitas, ſenio contracta, cauſa fuit, cur Deus ſacerdotibus quinquageſinariis aetatis conceſſerit veniam. Hacce enim aetate vires corporis plerumque decreſcunt, nec arduis negotiis expediundis vlterius ſatis bene ſufficiunt. Perbelle rem introſpicit, et acute diſputat, Io. Clericvs*), hanc legem explicans: *Ne vitio ſacerdotis vulgo vilior cultus diuinus fieret. Ita enim comparatum eſt plebis ingenium, vt, ſi ſpreuerit ſacerdotem, ſpernat etiam diuinum cultum, a ſacerdotibus adminiſtratum. Solet autem plebs deformitate inſignes aſpernari, quantaecunque ſint iis animi dotes.* Verſantur ſacerdotes, ex officii ratione, plerumque in conſpectu

*) Commentar. in Pentateuch. ad h. l. p. 265.

ſpectu hominum, qui humili et deformi corporis ſtatura, et alia quadam macula et vitiligine, facile offenduntur, vt minus decenter de illis ſentiant. Teſtem huius rei adduco diuum Paullum, qui conqueritur, nonnullos inter Corinthios ipſius corporis conditionem habuiſſe contemtui: ἡ παρȣσια τȣ σωματος ἀσθενης: *praeſentia corporis debilis ſeu infirma eſt.* II. Corinth. X. 10. Regitur quippe vulgus opinione, et non raro ab externo corporis vultu ad internam animi indolem ſatis temere argumentatur, quam vel bonam in procero et venuſto, vel malam in minuto et vitioſo corpore eſſe leviter arbitratur. Sed ſaepius his rationibus admodum ieiunis oppido fallitur, quia verum eſt illud Comici: *Si faciem videas, quantiuis pretii videtur.* Res eſt in vado, populum Iudaicum aſpectu noui Regis Sauli, qui procera et nobili gaudebat corporis ſtatura, mirum in modum eſſe delectatum, ipſique protenſa manu laetoque animo applauſiſſe. 1. Sam. X. 23. ſeq. Videmus, Deum quandoque in rebus minutis, et ſua natura innocentibus, hominum ingenio indulſiſſe. Sed quam turpiter fefellerit Iudaeos ſpes, e procera regis Sauli ſtatura, et reliqua corporis praeſtantia, temere concepta, funeſtus huius regis confirmauit exitus. Humile ex aduerſo Dauidis regis corpus magnis ac inſignibus animi dotibus fuiſſe inſtructum, ſatis conſtat. Veram igitur dixeris Summi Numinis ſententiam: *homo videt, quae ante oculos ſunt, Deus*

autem

autem reſpicit cor, ſeu intimos animi receſſus. 1. Sam. XVI. 7.

§. XXIX.

Meditatio quarta proponitur.

Monui ſupra finem harum legum ſecundum ſine dubio in caſtitate animi, et morum modeſtia, quam obſeruare deberent ſacerdotes, eſſe collocandum. Quae animi integritas quartam conſtituit rationem, iam in ſcenam producendam. Vix crediderim, vllum interpretem tam iniquum eſſe futurum, vt ſtatuat, ſanctiſſimum Numen integritatem corporis potius, quam ipſam animi reſpexiſſe indolem, et morum elegantiam. Quo enim maior eſt animi et vitae probitas, in homine cultiore, aeſtimanda; tanto ſanctiores etiam ac caſtiores oportebat eſſe ſacerdotes, vt internus animi affectus externo corporis cultui reſponderet. Quam rem bene diiudicauit Philo Ivdaevs *), hunc in modum, de ſacerdotum integritate, diſputans: *Integritas corporis in ſacerdote requiritur*, μηδεμιαν ἐν τω σωματι λωϐην ἐχοντα, μητε κατ᾽ ἐνδειαν ἐπλειποντος, δ᾽ ἀκρωτηριασθεντος μερȣς, μητε κατα πλεονασμον ἁμα τη γενεσει περιττευσοντος. κ. τ. λ. *ne quam labem mutilationemque habeat, neue vllam agnatam particulam ſuperuacaneam, ſiue in natiuitate, ſiue per morbum poſtea; neue colorem mutatum*

*) Lib. II. de Monarchia. p. m. 823.

tum in lepram, aut feram impetiginem, aut formicantes verucas, aliasue puſtulas, et tubercula. Quae omnia mihi videntur figurate referenda ad perfectionem animae. Nam ſi mortale corpus ſacerdotis inſpici oportet, ne quo contactum ſit vitio, quanto magis immortalem animam formatam, vt creditur, ad Dei veri effigiem. Levis alias et fallax eſt PHILONIS IVDAEI, quod inter omnes conſtat, fides; hacce vero in parte nos facile habet conſentientes. Quo enim excellentior homineque dignior eſt animae praeſtantia, quae mortales vere ornat, tanto maior cura ſacerdotibus procul dubio fuit adhibenda, vt corporis integritas animae reſponderet virtutibus. Verum omnino eſt, ſacerdotibus veteris Teſtamenti, priusquam ad munera promouerentur ſacra, corpora fuiſſe denudanda, et introſpicienda curatius, vtrum aliqua pars labe eſſet contaminata. Nolo tamen ire inficias, hos viros, ſacro ritu iam inaugurandos, hac luſtratione omnium accuratiſſima tacite eſſe admonitos, animae candorem non eſſe negligendum. Certum quoque eſt, examen horum virorum, in ordinem ſacerdotum adſciſcendorum, qua vitam et mores, eſſe inſtitutum. Nemo forte, niſi capite cenſus, ſibi perſuaſerit, Deum, qui ſua natura animi integritatem amat, , morum ſanctitatem et ingenuam mentis indolem in ſacerdotibus veteris Teſtamenti praeteriiſſe. Multis exponunt verbis laudati ſaepius viri, SELDENVS, SPENCERVS,

cervs et Savbertvs, ipſis quoque examen, de vitae et morum caſtitate, fuiſſe ſubeundum, homines autem ſpurcos, ardeliones lurconesque, eliminatos. Commemorant laudati auctores quinque inprimis crimina, quae non ſolum Pontificem, ſed ſacerdotes etiam aliquando futuros, hac dignitate coram Senatu ſanctiore priuabant. *Primum* in nuptiis illicitis, cum peregrina et malae notae femina initis, ponitur. *Alterum*, ſi idololatriae et cultus alieni crimine laboraret. *Tertium*, ſi caedem, vel ſpontaneo motu, vel inuitus, commiſerit. *Quartum*, ſi adulterio aut inceſtu ſe commacularit. *Quintum*, ſi viliores, et ſua auctoritate indignas, tractarit artes. Haecce vitia vnumquemuis hominem a capeſſendo ſacerdotis munere ex Iudaeorum legibus repellebant.

§. XXX.

Leges, de corporis integritate, animi inuoluere ſanctitatem, demonſtratur.

Quod ſi leges, de corporis integritate, nec non de crebriore pedum lotione, antequam templum ingrederentur ſacerdotes, ſpectes, Exod. XXX. 19. 20. facile mihi, de animi candore, praebueris ſuffragium. Tanta quippe religione ſacra a ſacerdotibus erant peragenda, vt ſacerdotes, opera naturae perficientes, teſte Spencero *), ſe denuo lauare haberent neceſſe. Leui opera hanc ſententiam

*) l. c. p. 171.

tentiam multis inſtitutis diuinis confirmarem, et legum diuinarum moralitatem demonſtrarem, ſi id rei exigeret ratio. Vnicum ſaltem ad rem demonſtrandam ſufficiet mandatum, quo ſacerdotes, ſacra facientes, vino aut alio potu, ebrietatem promouente, abſtinere iubentur. Leuit. X. 9. Accidere enim poterat, vt ſacerdotes temulenti, ſuarumque rerum parum conſcii, extra orbitam prolaberentur, et crimen aliquod in cultu diuino admitterent. Qua de lege alibi diſſerui plenius. *). Eleganter nec minus ſolide de hoc rei capite contra Apionem diſputat Iosephvs**): *Adde, quod ſacerdotes ab ipſo iam initio legislator, non pro cenſus magnitudine, aut aliarum eiusmodi rerum, quam fortuna pepererit, copia, in tanto honoris gradu collocari voluerit, ſed duntaxat, qui ſe cum aliis partim orationis vi, partim etiam aequitate morum, anteirent, diuini cultus ritus commiſerit. Id, quod ad accuratam et legis, et reliquorum inſtitutorum, conſeruationem maxime pertinebat.* Inuictis profecto argumentis Iosephvs contra Apionem, cultus Iudaici deriſorem, vindicat ſacerdotum apud Iudaeos auctoritatem. Retundit Apionem, ſacerdotes Iudaeorum temere vellicantem, et eosdem flocci aeſti-

*) vide ſis noſtram Commentationem Hiſtorico-Theologicam, de Sicera in vſu S. coenae non admittenda. Lipſiae.

**) Opp. Tom. II. Lib. II. contra Apionem. p. 1379.

aeſtimantem, demonſtratque acute, hos viros non coeca ſorte eligi, ſed maximam ipſorum vitae ac morum haberi rationem, quae in ſacerdotibus Gentilium plerumque negligeretur. Tantum omnino abeſt, vt Deus, qui intimas animi perſcrutatur latebras, his regulis animi praeterierit ſanctitatem, vt potius eamdem ſerio inculcarit ſacerdotibus. Proſtant tabulis in ſacris diuinae, quibus Deus diſciplinae, rite dirigendae, et moribus a ſacerdotibus bene componendis, conſuluit, regulae. Obuiae ſunt in iisdem graues animaduerſiones in ſacerdotes vitioſos largius, et cum indignatione, effuſae. Luculenta denique adſunt iuſtiſſimae vindictae a deperditis ſacerdotibus, filiis inprimis Aronis et Eli, ſumtae exempla. Quae ſi recte reputaueris, facile intelliges, Summum Numen his in legibus non neglexiſſe virtutes, a Sacerdotibus diligentius excolendas. Durauit etiam haec iuſta doctorum Iudaicorum, de ſacerdotibus integris ac immaculatis, ſollicitudo, donec tota Reſpublica Iudaica in perniciem rueret ac detrimentum. Nemo igitur mirabitur, Deum his imperatis et regulis corporis inprimis tetigiſſe vitia, quia pleriſque in legibus ea potiſſimum notantur crimina, quae ſenſibus oculisque humanis ſunt obuia. Cum autem oculus humanus, vel etiam armatus, vitia animi, ob verſipellem hominum genium, vix introſpicere, latebrasque et liguſtra detegere poſſit, ſatis erat, eas praeſertim tradere leges, quae circa

externa

externa corporis vitia ſunt occupatae, qualia ſunt, fatuitas, coecitas, immunditics, et deformitas. Etenim homines prouinciam ſacram ambientes, ſed his corrupti naeuis, veſtes, quae erant ſacerdotum ſigna, et ornamenta, ſacras neque induere, neque rem ſacram facere poterant, prout docent Io. Bravnivs *) et Cremervs **).

§. XXXI.

Quinta recitatur meditatio.

Noua animum, circa has, de quibus ſermo eſt, regulas Moſaicas ſubit meditatio, in ſanctitate Summi Numinis, et cultus ſacri caſtitate potiſſimum quaerenda. Totus ordo, vt dicitur Leuit. XXI. 15. et 23, aeſtimabatur ſanctus, eum quippe in finem electus, vt ſacra tractaret myſteria. Concredita erant ſacerdotibus arcana diuina, ipſisque integrum ad ſanctum, immo Pontifici Maximo ad ſanctiſſimum, qui praeſentia Dei reſplendeſcebat, accedere locum. Quod arctiſſimum Deum inter et ordinem ſacerdotalem commercium, non niſi mundis, nec non corporis vitaeque integris, erat relictum. Etenim ſingulare eſt beneficium, quo iſti homines Dei conſuetudine et rerum diuiniorum vſu fruebantur. Quam indignum, quaeſo, excellentia

*) de Veſtitu ſacerdotum Hebraeor. Lib. II. Cap. XXVI. p. 671.

**) Comment. Myſtic. de Qualit. Sacerdot. et Pontif. p. 58. ſeq.

tia diuina eſſet, in tam religioſi cultus negotiis hominum vitioſorum, aut famae macula conſpurcatorum, vti miniſterio? Quam nefandum ac profanum, ſanctiſſimam Dei ſedem hominum deformium et ſceleratorum commaculari ingreſſu? Periculum profecto erat, ne ipſa religio, quae ab omnibus etiam gentilibus aeſtimabatur ſancta, veniret in contemtum atque turpitudinem. Satis bene hanc rationem diiudicauit SPENCERVS *) ita ſentiens: *Vt reverentia ſanctuarii et Zelus illud ingrediendi in eorum animis accenderetur. Minuitur enim in conſpectu noſtro rerum omnium dignitas, et Zelus noſter erga praeſtantiſſima deferueſcit, ſi in oculis noſtris quotidie verſentur, et iis, cui libet, frui liceat. Et procul dubio Deus ipſe, et thronus ſuus in contemtum abiiſſet, ſi cuiuis, mundo vel immundo, ſanctuarium adire contigiſſet, et Dei Domicilium eadem facili opera, qua et aedes proprias ingredi licuiſſet.* Caſta Deo mens eſt, et caſta mente omnium, qui vel rebus ſacris ex officio, vel pietatis obſequio, defunguntur, vult adorari. Si itaque ſacerdotes exteriore et inſigniore corporis corrupti eſſent vitiligine, facile ipſa loci ſanctiſſimi dignitas vilipendi, profanari, nec non Dei ſanctitas laedi poterat. Religioſa a gentilibus habebantur Deaſtrorum fana atque delubra, adeo qui-

*) de Legib. Hebr. Ritual. Lib. I. Cap. VIII. de Perſonarum et Rerum munditiis et immunditiis. p. 162. ſeq.

quidem, vt a ſacris faciendis omnes homines ſcelerati et maculis conſperſi repellerentur, vti tradunt Ivriev*), Io. Pottervs**) et Lackemachervs***). Quae ſi nunc recta tecum reputes via, iuſtam pronuntiabis huius legis normam, qua ipſa Dei ſanctitas demonſtratur, confirmatur, celebratur.

§. XXXII.

Sexta exponitur meditatio.

Sexta meditatio, in has leges Moſaicas inſtituta, me nunc ad typum Chriſti, et ſacerdotum Noui Teſtamenti deducit rationem. Verbis non opus eſt hedera, quia Hebr. IV. et V. luculenta adſunt rei teſtimonia, ſacerdotium Veteris Teſtamenti ſuſtinuiſſe Noui Foederis figuram. Ea, quae in Pontifice Maximo indaganda, et exploranda erant animi et corporis decora, in Chriſto, ſacerdote Noui Teſtamenti ſummo, eminent gradu, prout Paullus ſcribit: Τοιȣτος γαρ ἡμιν ἐπρεπεν ἀρχιερευς, ὁσιος, ἀκακος, ἀμιαντος. κ. τ. λ. *Talem decebat nos habere ſacerdotem ſummum, qui eſſet ſanctus, inculpatus, immaculatus, et a peccatoribus ſegregatus.* Hebr. VII. 26. Praeter enim quam, quod Pontifex Hebraeorum maximus niteſcere

*) Hiſtoria Dogmat. et Cultuum. Part. III. Cap. III. p. 411.

**) Archaeologia Graec. Lib. II. Cap. XX. p. 389.

***) Antiquitt. Graec. S. Part. IV. Cap. II. p. 615.

debebat corporis integritate, ipſum quoque, ſi dignus eſſet habendus, ornare debebant, animi candor, religionis ſtudium, et vitae modeſtia. Mitto Chriſti Pontificis omnium maximi venuſtatem, quae ſecundum humanam naturam, ob vnionis vinculum, cum diuina, in ἐυκρασια, temperamenti perfectione, et corporis praeſtantia ponitur. Nolo enim hanc formae elegentiam, ac corporis pulcritudinem tenacius vrgere, quia illa ad eius dignitatem muneris nihil omnino confert. Certum ceteroquin eſt, haec animi ornamenta de Chriſto Pontifice Optimo Maximo Noui Inſtrumenti inprimis commemorare diuum Apoſtolum. Teſtis eſt ipſe Chriſtus ſuae, qua eminet, ſanctitatis, ſerena ſuis hoſtibus fronte obiiciens: *Quis ex vobis me poteſt accuſare peccati?* Io. VIII. 46. Nec omittendum eſt, Chriſtum ſeipſum ſanctificaſſe pro ſua familia, prout Pontifex Veteris Teſtamenti, die expiationis ſolemni prius, pro ſe, ſuaque domo offerebat ſacrificium, quam expiaret populum. Hebr. VII. 27. Leuit. XVI. 6. Expiauit autem Chriſtus ſua ſanctitate, et pretio omnibus numeris abſoluto, non ſolum ſuos, quos amandaret, Apoſtolos, Io. XVII. 19, ſed et totam ſuam familiam Chriſtianam ſanctam reddidit ac integram. I. Corinth. I. 2. et 30. Nolo vero filum huius argumenti, quod ſolidius excuſſerunt Cremervs *), Fran-

·tivs

*) Typologia, de Qualitatib. Pontificis M. p. 59. ſeq.

TIVS *) et HERM. WITSIVS **), longius protrahere, quia mea tractatio in aliud rei caput iam eſt transferenda. Erit autem de dotibus miniſtrorum ſacrorum Noui Teſtamenti aetate infra agendi locus. In calce huius commentationis adhuc ſaltem monendum eſt, Eccleſiam veterem, ſub vmbris ac figuris degentem, veluti in tyrocinio latuiſſe, ipſos autem ſacerdotes, moleſtis et difficillimis operis in templo Hieroſolymitano peragendis addictos, plus cultui externo, quam animi, et rerum ſacrarum culturae litaſſe. Quid inde mirum, ob natalium dignitatem, et ordinem quandoque, extitiſſe Pontifices mediocri rerum diuiniorum notitia inſtructos, vt ad declamationes publica in corona faciendas, et alia munera die expiationis ſolemnioris perficienda, prius eſſent informandi, inſtruendique. Habent omnino ſacerdotes ſeu miniſtri Eccleſiae Chriſtianae his in legibus, quod ſibimetipſis dictum putent, admonenturque iisdem arctius, vt nullas animi, vitaeque male actae, maculas ſecum in miniſterium ferant. Quodſi enim vitae morumque inuſtas habeant notas, verendum eſt, ne voluntatis diuinae interpretes ſummo ſanctiſſimoque Numine exiſtant indigni, et commodis in Eccleſia promouendis non leuidenſia

 iniiciant

*) memorata Schola ſacrificior. S. Diſput. VIII. p. 205.

**) Miſcell. Sacr. Lib. II. p. 452. ſeq. de ſacerdotii Vet. Teſt. cum ſacerdotio Chriſti collatione.

iniiciant impedimenta. Plus igitur detrimenti, quam emolumenti, hi viri aliquando Eccleſiae allaturi ſunt.

§. XXXIII.

Septima adfertur meditatio.

Septima, quae his in mandatis diuinis recondita eſt, ratio, Eccleſiae Noui Foederis ſine dubio ſiſtit figuram. Etenim haecce Eccleſia tum qua faciem internam, cum externam Eccleſiae Veteris Teſtamenti minime cedere, ſed eam multis ſtadiis ſuperare, debebat, ſiue ſacerdotes ſeu miniſtros ſacros, ſiue res diuiniores, in illa tractandas, ſiue denique ipſos huius ciuitatis ſanctiſſimae ſpectes inquilinos. Quod miniſtros cultui ſacro adſcriptos attinet, illi non minore, quam ſacerdotes Eccleſiae Iudaicae, niteſcere debent probitate, animique ſanctitate. Impuri quondam ac mutili, aut alia vitae macula conſperſi, a ſacris repellebantur, et ſua ipſorum dignitate exuebantur. Lectione dignum eſt, quod Deus ſacerdotibus ac Leuitis turpiter contemeratis minatur infortunium, his verbis prolatum: *Lex veritatis fuit in ore eius, et iniquitas non eſt inuenta in labiis eius, in pace et aequitate ambulaſti mecum, et multi ab iniquitate reuocati ſunt, cum labia ſacerdotis obſeruarent ſcientiam, et lex requireretur in ore eius: At vos receſſiſtis ab illa via, feciſtis, vt multi impingerent in legem, corrupiſtis foedus Leviticum, ait Deus exercituum; ideo etiam reddidi*

vos

vos contemtos, et abiectos, toti populo, quia vos minime obſeruaſtis vias meas. Malach. II. 6. 7. ſeq. Res in luce verſatur, Deum caſtigare ſacerdotes, illisque omne contemtus et detrimenti minari genus. Memoria dignum eſt, Chriſtum eamdem in turpes, falſos, et inertes Eccleſiae Chriſtianae doctores pronuntiare ſententiam, his vſum verbis: *Vos eſtis ſal terrae; quodſi ſal infatuatus fuerit, quo ſalietur? Ad nihil valet amplius, niſi vt abiiciatur foras, et conculcetur ab hominibus.* Matth. V. 13. Nemo non videt, Ieſum de Apoſtolis agere, eorundemque ſucceſſoribus in Eccleſia futuris. Salem infatuatum falſos deperditosque appellat doctores, qui eliminandi ſunt atque proiiciendi. Qua in ſententia perapte mihi ſuffragatur cel. Io. Georgivs Altmannvs*), de hoc argumento diſſerens verboſius. Praeiuit iam S. Chrysostomvs **), eamdem de ſale terrae fouens ſententiam: *οἱ ἱερεις της γης εἰσιν ἅλες; την δε ἡμετεραν ἀνοιαν,*

*) Meletemat. Philologic. Critic. Tom. I. Exercitat. II. ad h. l. p. 51. ſeq. Multis auctorum profanorum ac Criticorum teſtimoniis confirmat laudatus auctor, verba βληθηναι ἐξω, και καταπατεισθαι ὑπο των ἀνθρωπων eam ſuſtinere ſignificationem, qua res viliſſima foediſſimaque foras proiicitur, atque in triuiis pedibus conculcatur. Quo nomine ſummum ignominiae genus prauis doctoribus inferendum indicatur.

**) Opp. Tom. I. de Sacerdotio Lib. VI. p. 425. edit. Montfauc.

ἀνοιαν, καὶ την ἐν πασιν ἀπειριαν τις ἀν᾽ ἐνεγκοι ῥάδιως. κ. τ. λ. Sacerdotes ſal ſunt mundi; noſtram vero inſipientiam, et in omnibus imperitiam, quis facile tulerit; niſi vos, qui nos vltra modum amare conſueuiſtis? Neque enim purum duntaxat eſſe oportet, vtpote qui tanto miniſterio dignatus ſit, ſed etiam prudentem, et rerum peritum multarum. Vitae et doctrinae caſtitate et prudentia ornatos Chriſtus poſcit inſtauratae pacis praecones, ne ſanctior corrumpatur ac vitietur religio.

§. XXXIV.

Meditatio octaua proponitur.

Cultum autem ipſum in ciuitate Chriſtiana religioſum ſi nunc ſpectes, vero maxime eſt ſimile, dignitatem eius, atque ſanctitatem diuinam, hoc ſignificari typo. Quod argumentum demonſtratum iuit diuus Paullus, in Epiſtola ad Hebraeos, capitibus VIII. IX. X. Informandi nimirum erant Iudaei diligentius, hac noua, quae orbi affulſerat, luce omnium exoptatiſſima, de cultu religioſo inter Chriſtianos Ieſu, eiusque commilitonum opera, iam inſtaurato. Demonſtrat Iudaeis, ſacerdotio et ritibus Moſaicis paulo tenacius adhaerentibus, ſanctiſſimus huius epiſtolae auctor, cultui Leuitico, in quo omnem ſpem habebant collocatam, finem attuliſſe Chriſtum, repurgatae religionis inſtauratorem. Id inprimis agit, vt eosdem, de fine harum rerum in Chriſto conſpicuo

ſpicuo penitius conuinceret, omnemque inanem, qua ſe hactenus lactarant, ſpem, vanamque fiduciam in rebus caeremonialibus poſitam, ex illorum animis eradicet, exſtirpetque funditus. Hoc ſi ab illis impetrauerit, ſperabat fore, vt nouam Eccleſiae Chriſtianae, cuius gentiles etiam participes fiebant, formam facile admitterent, neque amplius ſe his addicerent ritibus. Quae inſtitutio Iudaeis eo magis erat neceſſaria, cum apertis iam conſpicerent oculis, cultum Moſaicum turpiter eſſe commaculatum, eumque ſuam ruere in perniciem. Breue inſuper temporis ſpatium, cum hanc ſcriberet Paullus epiſtolam, erat reliquum, quo totum ſacerdotium, cum rebus ſuis ſacris et templo, excidio omnium funeſtiſſimo, euaneſcere deberet. Delineanda proinde erat Iudaeis haec noua ciuitatis Chriſtianae facies, et omnes, qui illos adhuc vexabant, ac male turbabant, ſcrupuli ipſorum animis eripiendi, quo cultum Chriſtianorum ſacrum eiusque moderatores eo lubentius admitterent, illisque benignam praeberent aurem. Eam eſſe huius auctoris mentem, perbelle his verbis diiudicauit S. Athanasius *). *Quoniam Iudaei legi, et illius vmbris incumbebant, eam ob cauſſam Paulus Apoſtolus doctor gentium factus et ad gentes amandatus, vt euangelium illis praedicaret,*

F 5 *et*

*) Opp. Tom. II. Synopſ. ſcriptur. S. in h. Epiſtol. p. 148.

et cum omnibus gentibus ſcripſiſſet, iam deinceps omnibus etiam Hebraeis ſcribit, qui ex circumciſione crediderant. Confert ſanctus Apoſtolus in memoratis capitibus cultum Chriſtianorum religioſum, cum cultu Iudaeis diuinitus demandato, docetque ſolidius, illum poſteriori nulla cedere ratione. *Primo* enim in capite VIII. enixius exponit, Eccleſiam Chriſtianam illuſtriore ac ſanctiore, quam Eccleſia Iudaica, gaudere Pontifice, qui eſſet των ἁγιων λειτȣργος, καὶ της σκηνης της ἀληθινης: *protector et nutritor bonorum ſanctorum, et veri tabernaculi.* v. 2. *). *Secundo* commemorat Paullus in capite IX. Eccleſiae Iudaicae pignora, in ſanctiſſimo loco adſeruata, et in arca foederis repoſita. Nemini integrum fuit, ad haec ſanctiſſima accedere ornamenta, et religionis Iudaicae arcana **), niſi Pontifici M. ſolemni expiationis die, ita tamen, vt ſummam obſeruaret animi corporisque integritatem. Quamuis autem haec religionis Iudaicae arcana magnae eſſent auctoritatis, et reconditi plane vſus; exponit tamen feliciſſimus harum antiquitatum ſacrarum interpres, illa tantum rerum futurarum ſuſtinuiſſe figuram. Religionis ex aduerſo

*) leg. Diſſertat. noſtra, de Ieſu ſanctorum Adminiſtro, ad h. l. Lipſ.

**) V. Deylingii Obſeruat. Miſcell. Part. II. Obſeruat. XLVII. de rebus, quae in ſanctiſſimo tabernaculi Moſaici adyto fuerunt. p. 555.

ſo Chriſtianae myſteria non ſolis verbi diuini miniſtris ſunt concredita, ſed omnibus in vniverſum Chriſtianis ſacerdotii diuini iure, et emolumentis auctis conceſſa, puris tamen manibus tractanda, nec vllo modo leuiter contemeranda. Planior, vberiorque in Eccleſia ſanctiore viget myſteriorum diuinorum cognitio, quae antiquioris Eccleſiae Iudaicae aeuo ſilentio aliquantiſper a ſacerdotibus premebatur, nec in plebem emanabat. Omnibus Chriſtianis, maxime vero rerum diuinarum paeconibus, incumbit cura, ne verbum diuinum et religionis arcana adulterentur, corrumpantur, peruertantur. Addo *tertio*, Apoſtolum in capite X. ſanctiſſimum depraedicare Noui Foederis ſacrificium, illudque expiatorium, quod ſacrificio quotannis offerendo multis nominibus eſt praeferendum. Conſtat autem ex ſacris Hebraeorum inſtitutis, nec Pontificem ſolum, ſed totum etiam populum praeſentem, ob diei et ſacrificii expiatorii ſolemnitatem, caſtum, pium, ac deuotum declaraſſe animum, ſedulo cauentes, ne quid, quod expiationi noceret, turpiter committeretur, vt Svrenhvsivs *) et Ligtfotvs **) tradunt. Voluit, ni fallor, Deus hac arctiore diſciplina, ſolemniori

*) Leg. Miſchnic. Part. II. de Die expiationis. p. 234. ſeq.

**) Opp. Tom. I. Cap. XV. de Miniſterio Templi. p. 744. ſeq.

niori expiationis die tenaciter obſeruanda Chriſtianos tam ſacra tractantes, quam eadem frequentantes tacite monere, vt ſummam obſeuarent animi pietatem. Prioris generis viri, caſtis manibus ſacra peragere, et poſterioris generis homines, non niſi religioſo animi cultu ad ſacra, ſiue verbum audiant diuinum, ſiue ſacramentis adminiſtrandis adſint, ſiue illis fruantur, accedere debent.

§. XXXV.

Nona commemoratur meditatio.

Oculi tandem in ciuitatis Chriſtianae incolas ſunt coniiciendi. Gaudent illi Chriſti ſodales nomine, dignitate, atque emolumentis cum antiquioris Eccleſiae Iudaicae ſacerdotibus. Libere accedere poſſunt ad ſacrificia diuiniora, inter preces et laudes coram Deo facienda. Nulla illos, niſi animi, corporisque retinet immundities, non autem corporis defectus, aut deformitas. Animi ſanctitatem requirunt ſacrae tabulae ab illis, qui cum Deo in familiaritatem et commercium inter preces deſcendere cupiunt: *Deus peccatores non audit.* Io. IX. 31. I. Tom. II. 8. Ieſ. I. 15. 16. Ita nimirum Pontifex maximus prius ſua peccata expiare debebat, quam accederet die expiationis ad locum ſanctiſſimum. Hebr. VII. 27. Patet omnibus Chriſtianis ad thronum gratiae acceſſus, qui olim ſoli Summo in gente Iudaica

ſacer-

ſacerdoti erat relictus. Hebr. IV. 16. Plana eſt omnibus ad Eccleſiae ſocietatem, et omnium bonorum vſum, via, quae antiquioris Eccleſiae aeuo tantum ſacerdotibus patebat. Omnes Chriſtiani ſacra, quam olim tantum ſacerdotes ſalutabant, fruuntur menſa, deliciis, pretioſisque cibis, corpore nimirum ac ſanguine Chriſti inſtructa. I. Cor. X. 16. 17. ſeq. Nemo, niſi improbus ac impurus, hoc excluditur conuiuio, omnium dulciſſimo, quia ſancta ſanctis ſunt relicta. Hiſce grauibus motus rationibus diuus Apoſtolus omnes adhortatur in oraculo memorato Chriſtianos, vt vitent, caneque peius ac angue menſam, idolis et conuiuiis Gentilium ſacram, fugiant. Conſtat enim, auctore Ivriev*), Gentiles ſuis in delubris menſas habuiſſe, ſuis diis fabuloſis fictitiisque ſacras, atque in illis ſua in honorem Deaſtrorum imaginariorum celebraſſe conuivia, Chriſtianosque non raro hanc ad ſolemnitatem inuitaſſe. Monendi igitur erant Chriſti ſodales, deſerendam eſſe hanc gentilium menſam. Quid? Quod haec menſa, a Chriſto ſuis commilitonibus praeparata, multo ſanctior eſt atque auguſtior, quam menſa Iudaeorum aurea, et panibus ſacris ornata, ad quam ſacerdotes ſolum accedebant, et panibus fruebantur ſacris. Accedit, communionem Chriſtianorum

rum

*) Hiſtoria Dogmat. et Cult. Part. IV. p. 365 et 763.

rum Noui Foederis aetate eſſe ampliſſimam. Iudaeorum Societas alios omnes excludebat atque reſpuebat populos, et aduentitiis hominibus ſeu Proſelytis exigua concedebat iura, atque emolumenta. Chriſtiana contra ciuitas multo amplior eſt, omnesque homines, qui Chriſto nomen dant ac fidem, recipit, eosdemque horum beneficiorum participes reddit ac compotes. Omnes enim in vniuerſum Chriſtiani, illique fideles, ciues ſunt vrbis Hieroſolymitanae coeleſtis, et nullus niſi impurus excluditur ac immundus. Apoc. XX. 14. 15. Digito, quaſi indice hanc fidelium Noui Foederis praeſtantiam notat Paullus his quidem verbis: *Acceſſiſtis ad montem Sion et ciuitatem Dei viuentis, Ieruſalem coeleſtem, et multarum myriadum angelorum panegyrin.* Hebr. XII. 22. ſeq. Quam fidelium, tam viuentium quam beatorum, coniunctionem erudite exponunt Io. Bravnivs *) et Io. Pearsonivs **), demonſtrantes curatius, eam multo illuſtriorem amplioremque eſſe, quam panegyrin Iudaeorum, in feſtis ſolemnioribus conſpicuam, quin et multo arctiorem, quam ſocietatem Iudaeorum, legibus diuinis ſancitam. Haecce myſteria his ſub inuolucris latere, non ſine veritate auguror.

SECTIO

*) Commentar. in Epiſtol. ad Hebr. ad h. l. p. 883.
**) Expoſitio Symbol. Apoſtol. p. 219. et p. 629. ſeq.

SECTIO SECVNDA

DE

LEGIBVS MOSAICIS CIRCA SACERDOTES VITIATOS IN PRIMA CHRISTIANA ECCLESIA EMENDATIS

§. I.

De Miniſterio Noui Teſtamenti ſacro.

Satis ex inſtituti mei natura et argumenti grauitate hactenus diſputatum eſt, de legibus Moſaicis circa ſacerdotes corpore vitiatos latis. Meditatio nunc ad faciem Eccleſiae Chriſtianae eſt transferenda, et rite diſpiciendum, quae fuerit harum legum in eadem auctoritas, qui valor, quod pondus. Equidem bene noui, ſacerdotium ſeu miniſterium ſacrum Noui Foederis aetate non eſſe ſublatum, id tamen vnusquisque rerum cenſor mihi libere concedet, ſacerdotium Veteris Inſtrumenti multis in rebus paſſum eſſe mutationem, aliamque recepiſſe formam. Praeter enim quam, quod ſacerdotium Veteris Teſtamenti, e familia Aronitica conſtituendum, de ponte eſt deiectum, et miniſterium ſacrum, ex quouis hominum genere eligendum, in eius locum ſurrogatum; ipſae quoque regulae, de integritate corporis eiusdemque munditie datae, adeo ſunt mitigatae,

gatae, vt cum inſtitutis Eccleſiae Chriſtianae minime conciliari poſſint. Non vacat hic loci, in omnes ſacerdotii antiquioris temporis excurrere partes, atque demonſtrare ſolidius, quibus rationibus illud a Miniſterio Eccleſiaſtico nunc differat; quia nimis amplus eſſet exſpatiandi campus. Subſiſtendum ſaltem duco in ordine Aronitico et Leuitico, quoniam illi res ſacrae tractandae diuinitus erant demandatae. Sufficere quoque poterat haec ſocietas populo Iudaico, cum illa Eccleſia anguſtos intra terminos ſeſe contineret. Ciuitas autem Chriſtiana multo amplior et copioſior erat futura. Colligi inde poterit, ſacerdotium Veteris Inſtrumenti inſtitutis Moſaicis firmatum non longius, quam vſque ad praeſentiam Chriſti, Noui Foederis ſponſoris, fuiſſe duraturum. Hebr. VII. 18. VIII. 6. Qua in opinione non a vero aberrarunt Io. Bravnivs *) et Gvil. Ovtramvs **). Emendatae vero ſunt Eccleſiae Chriſtianae aeuo hae leges a Moſe, iuſſu diuino ſancitae, paulo rigidiores, cuius temperamenti rationes iam paucis lineis exponere volupe eſt. Neceſſe enim eſt, vt demonſtrem, quibus argumentis inducti Chriſtianae ciuitatis ſtatores, praeſulesque, horum mandatorum, de ſacerdotibus traditorum, diſcipli-

*) de Veſtitu ſacerdotum Hebr. Lib. II. Cap. XXVI. p. 684. et Cap. XXVII. p. 748. conf. Buddei, Commentat. de Ieſu melioris foederis ſponſore et de Praerogatiuis Fidelium N. T. prae Fidelibus V. T.

**) de Sacrific. Lib. II. Cap. II. p. 294. ſeq.

diſciplinam temperarint ac normam. Nihil prius, nihilque antiquius Apoſtolis erat inſtitutione primis Chriſtianis ingerenda, de diſcrimine ſacerdotum Veteris, et Miniſtrorum Sacrorum N., Teſtamenti, ne in re maxime neceſſaria ambigerent, animoque fluctuarent. Quo de diſcrimine perquam acute diſputat GVIL. OVTRAMVS *): *Adde quod munus ſacerdotale maxime a Prophetico, atque etiam Apoſtolico differret, quod Prophetarum et Apoſtolorum eſſet, res Dei apud homines agere, ſacerdotum autem res hominum apud Deum. Illi ſcilicet Dei apud homines legati erant, hi hominum apud Deum patroni. Prius docet Paullus 2 Cor. V. 20. Poſterius Apoſtolus ad Hebraeos Cap. V. 1. Et paulo poſt: Quamuis autem S. Paulus tralatitio loquendi genere vtens, ſacerdotis perſonam ſibi ſumat; quamuis et Chriſtiani omnes, ex ſacris illis ſpiritualibus, quae ipſi quotidie Deo offerunt, ſacerdotes nonnunquam appellentur; id tamen maxime aduertendum, nullos Euangelii miniſtros, quocunque in ordine conſtituti fuerint, huius ipſius muneris ratione, vſquam in ſcripturis ſacris ἱερεῖς, aut ἀρχιερεῖς vocari. Quod ideo moneo, vt miniſterium Euangelicum a Sacerdotio Aronico multum differre intelligatur.* Hocce impedimentum Apoſtolis erat remouendum, vt ſaniorem, de miniſterio ſacro, Chriſtiani reciperent ſententiam. Exponendum eſt vlterius, cur

*) de Sacrificiis Lib. I. Cap. XIX. p. 220. ſeq.

cur illi ipſi Praeſules, in ſeligendis Eccleſiae miniſtris, non tam corporis omniumque partium integritatem atque munditiem, quam potius animi reſpexerint indolem, et ſolidiorem rerum ſanctiorum notitiam. Nemo cum veritatis robore dixerit, primae Eccleſiae Patres Sacerdotum ſeu Clericorum ſuſtuliſſe ordinem, eumdemque expuliſſe. Conſtat ex adverſo, illos, de republica Eccleſiaſtica bene regenda, eaque, opera rerum ſacrarum interpretum ſtabilienda, nec non adiuuanda fuiſſe oppido ſollicitos. Non priuarunt ordinem ſacrum ſua, qua olim gaudebat, dignitate, licet primis ſaeculis ampliſſimis abſtinuerint honorum titulis, phaleriſque. Quam honorifice de miniſterio ſacro ſenſerint Patres, auctor eſt Ioannes Chrysostomvs *), quem adiiſſe non poenitebit. Refert ſaltem vnicum adducere teſtimonium, e bene multis, quibus S. Chrysostomvs **) Sacerdotis Noui Foederis depraedicat praeſtantiam: Δια τȣτων ἐνδυομεθα τον Χριϛον, και συνθαπτομεθα τω ὑιω τȣ Θεȣ, μερη γινομεθα της μακαριας ἐκεινης κεφαλης κ. τ. λ. *Per hos (Sacerdotes) Chriſtum induimus, et cum filio Dei ſepelimur, membra beati illius capitis efficimur, ita non modo Prin-*

*) Opp. Tom. I. p. 362. ſeq. edit. Montfauc. Illos ſex libros, de Dignitate Sacerdotali, notis auxit *Io. Huybeſius*, Cantabrigae edit. MDCCX, quos denuo illuſtrauit, et euulgauit *Bengelius* MDCCXXV

**) Tom. I. Lib. III. de Sacerdotio. p. 384.

Principibus ac Regibus formidabiliores, ſed patribus etiam venerabiliores nobis iure fuerint. Illi enim ex ſanguinibus, exque voluntate, carne nos genuerunt, hi vero illius, quae ex Deo eſt, generationis nobis auctores ſunt, beatae nempe illius regenerationis, verae libertatis, et illius, quae ſecundum gratiam eſt, adoptionis. Praeclara ſane laus, qua ſacer a *Chryſoſtomo* mactatur ordo! Dignitas, quae Sacerdotibus antiquioris temporis multis praeferenda eſt nominibus.

§. II.

Ratio huius temperamenti prima adfertur.

Iactis iam a tempore Chriſti per ipſius legatos Eccleſiae Chriſtianae fundamentis, de miniſtris, quibus res ſacrae tractandae tuto concredi poſſint, erat diſpiciendum. Intelligebant Ieſu commilitones, et primae Eccleſiae Proceres, Rempublicam Iudaicam toto cum ſuo cultu Leuitico excidio eſſe proximam, aliamque ciuitatis ſanctioris formam inſtaurandam. Ipſi Iudaei, rerum ſuarum deſperatarum bene conſcii, libere, auctore SVRENHVSIO *), profitentur, inter alias, quas ab excidio VESPASIANO inde ſuſtinent calamitates, eam non eſſe vltimam, quod demortuo R. ISMAELE, filio PABI, deſierit Sacerdotii ſplendor. Perſpiciebant, leges, de familia Sacerdotali, Iudaeis, non autem Chriſtianis, eſſe praeſcriptas, quarum vis noua cum Eccleſiae Chriſtianae facie iam exſpiraret. Non igno-

*) Leg. Miſchnic. Part. III. p. 308.

ignorabant, miniſterium Noui Teſtamenti ſacrum certo reſpectu longe amplius eſſe futurum, quam, vt ad certum diſtinctumque hominum reſtringi poſſit genus, cum bene ſcirent, omnes in vniuerſum fideles eſſe *γενος ἐκλεκτον, βασιλειον, ἱερατευμα, ἐθνος ἁγιον*: *genus electum, regium, ſacerdotale, et gentem ſanctam.* 1 Petr. II, 9. Commemorat quoque Sanctiſſimus Ioannes: *Χριϛος ἐποιησεν ἡμας βασιλεις, και ἱερεις τῳ Θεῳ, και πατρι ἀυτȣ. Chriſtus fecit nos Reges, et Sacerdotes coram Deo, et Patre ſuo.* Apoc. I, 6. Secus autem ſe res habuit Veteris Teſtamenti aetate, qua gens Iudaica nomine ac iure filiorum Dei ac heredum fruebatur, quo de beneficio mirum in modum gloriabatur. Exod. XIX, 5. IV, 22. Deut. VII, 6. XIV, 1. Ieſ. LXIII, 16. Quam turpiter autem his nominibus et promiſſis ſatis largis abuſi ſint Iudaei, eleganter expoſuit Camp. Vitringa *). Exſpirabat nunc haec dignitas Iudaeis relicta, et omnes in vniuerſum populi, nomen Chriſto daturi, horum beneficiorum reddebantur participes. Niſi me fallit augurium, grauis inter nouos familiae Chriſtianae inquilinos, ex Iudaeis et Gentilibus collectos, mouebatur quaeſtio, de ordine ſacro inter Chriſtianos inſtituendo. Videbant, ipſos Apoſtolos generi apud Hebraeos ſacerdotali non eſſe adſcriptos. Intelligebant, res ſacras, hac aetate peragendas, ab inſtitutis Moſaicis mirum

*) Obſeruat. S. Tom. II. Lib. IV. Cap. III. p. 28.

rum quantum differre. Perſpiciebant denique Chriſti oratores, paciſque exoptate redditae nuntii, in eligendis Eccleſiae miniſtris nullam prorſus legis Leuiticae habendam eſſe rationem. Nulla mihi eſt dubitatio, quin Chriſtiani, qui e Iudaeis nomen dederant Chriſto, aegre tulerint, Apoſtolos, homines natalibus gentilium natos, ad dignitatem et miniſterium ſacrum promouere, qualis inprimis fuit Titvs, Epiſcopus Cretenſis. Putarunt non ſolum ob leges, de ſacerdotio ſancitas, hanc prouinciam quam maxime ſolis competere Iudaeis, ſed et eam ob rationem illis hoc munus eſſe concedendum, quia doctrinis ſanctioribus eſſent innutriti, gentiles ex aduerſo denſa ſubmerſi ſuperſtitione, et a verae Eccleſiae remoti ſocietate. Iſte ſcrupulus Iudaeis erat eripiendus, atque ipſis exponendum, recentioris Eccleſiae aeuo diſcrimen Iudaeos inter et Gentiles penitus eſſe ſublatum, proinde miniſtros ſacros ex vtroque hominum genere, ſed Chriſtianos, et bene percultos, dignoſque eſſe ſeligendos. Quo tamen eo melius his querimoniis viciſſim ſparſis poneretur obex, Apoſtoli, prudenti vſi conſilio, oratores ſacros diſciplinis ſanctioribus bene imbutos ita ſelegerunt, vt illos, qui ex Iudaeis traxerant originem, inprimis ad Iudaeos conuertendos, illos autem, qui e gentilibus acceſſerant ad Chriſtum, ad informandos amandarent gentiles. Eam agendi rationem obſeruauit Paullus cum Timotheo, et Tito,

Act. XVI, 3. Gal. II, 3. Nulla igitur, neque Iudaeis, neque Gentilibus conquerendi cauſa erat relicta. Vtriuſque populi rationibus hocce modo ſapienter conſulebatur, et facilior doctoribus ad hos populos praeparabatur acceſſus.

§. III.

Hocce argumentum plenius traditur.

Plenior, quae haud omittenda eſt, ſaniorque Chriſtianis, de iure ac dignitate ſacerdotii, ingerenda erat ſententia, atque vera ſacerdotii indoles explicanda, ac natura. Informabant propterea Apoſtoli nouos Ieſu commilitones, hanc Veteris Teſtamenti vmbram veram nunc recepiſſe lucem, ſplendoremque. Omnes enim fideles, in Chriſti ſocietatem receptos, Sacerdotes eſſe, atque cultu diuino, in Sacrificiis Spiritualibus Deo offerendis ex Chriſti inſtitutis defungi. Nullum amplius exſpectandum eſſe ſolemnioris expiationis diem, quo aliquis Pontifex pacem Deum inter et homines reſtitueret, cum Chriſtus vna vice vnoque ſacrificio totum genus humanum expiarit. Hebr. IX. v. 25. ſeq. Quod expiationis myſterium erudite expoſuit Io. Henr. Hottingervs*), Gvil. Ovtramvs**), vt b. Marpergervm

*) Miniſterium ſolemnis Expiationum diei. Iuxta ductum legum Moſaicar. Leuit. Cap. XVI. opus Poſthumum. Tiguri euulgat. 1754.

**) de Sacrif. Lib. II. Cap. V. p. 318. ſeq.

RVM *) praeteream. Ceteroquin non intermittebant, hos Chriſtianos ſedulo monere, vt pio caſtoque animo, prout olim Sacerdotes decebat, ſua corporis animique Deo redderent ſacrificia. Rom. XIII, 1. ſeq. Quam animi corporiſque integritatem aliquando a familia Aronitica poſtulauit Deus, eam omnibus fidelibus iam imponit Chriſtus excolendam. Eam, ni fallor, animi vitaeque caſtitatem, diuus Paullus his innuit verbis: Αυτος ὁ Θεος της ειρηνης ἁγιασαι ἡμας ὁλοτελεις. Και ὁλοκληρον ὑμων το πνευμα, και ψυχη, και το σωμα. κ. τ. λ. *Ipſe vero Deus pacis ſanctificet vos totos, et integer veſter ſpiritus, et anima, et corpus inculpate in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruentur.* 1 Theſſ. V, 23. Omiſſis Cl. SCHOETGENII **), de hoc oraculo, ſententiis, quibus per πνευμα intelligit animam regeneratam, renouatam, et illuminatam, per ψυχην autem animam, quatenus rationalis, et humani affectus plena eſt, adducendam ſtatuo limatam Cl. Io. GEORG. ALTMANNI ***) commentationem, quae ita fluit: *his verbis primo indicatur, intellectum humanum ex ignorantiae tenebris ad lucem Euangelii eſſe traducendum; ſecundo corruptos et vitioſos animi af-*

*) Lib. de Magno Sacrificio expiatorio.

**) Hor. Hebr. et Talmudic. in N. Teſt. ad h. l. p. 832.

***) Meletemat. Philologico-Critic. Tom. II. Exercit. ad h. l. p. 234.

fectus compeſcendos; tertio omnia corporis membra ad pietatis regulas componenda. Haec omnino eſt Sacerdotum ſeu Chriſtianorum hac dignitate ornatorum norma, ab omnibus tenaciſſime tenenda. En nitida hominis Chriſtiani imago, ad exemplum Sacerdotum Veteris Inſtrumenti delineata! Habes huius Sacerdotii indolem, quam Apoſtoli omnibus incularunt ciuibus, eoſdemque hoc nomine ſui Sacerdotii diuini, ſeu officii, in ciuitate Chriſti praeſtandi reddiderunt memores.

§. IV.

Secunda, huius mutationis adfertur ratio.

Secundam huius emendationis cauſam nunc explorandam in Sacerdotio Chriſti, Noui Foederis inſtauratoris, collocandam eſſe cenſeo. Conſtat inter omnes, Chriſtum, ſalutis noſtrae Auctorem, Pontificem fuiſſe Optimum Maximum, non ſobole Aronis ortum, ſed ſecundum ordinem Melchiſedeci, qui rex fuit, et Sacerdos, diuina lege conſtitutum. Pſalm. CX, 4. Hebr. V, 6. Cap. VIII, 1. ſeq. Quid myſterii hoc in regio Chriſti Sacerdotio lateat, iam non indagandum eſt ſolidius. Inueſtigauit autem hoc arcanum Ven. SAL. DEYLINGIVS *) nucleumque huius myſterii denudauit. Satis eſt dicere, inſolens eſſe hoc Ieſu Sacerdotium, non ad ordinem Aronis compoſitum **). Quae quum bene perpenderent Ieſu legati ac ſatis intelligerent, Chriſtum ſuo officio in terris omni

ex

ex parte eſſe defunctum, recte ſtatuerunt, nunc omnem deſiiſſe typorum rationem. Multum omnino Sacerdotium Melchiſedeci differt a Sacerdotio Aronis, ſiue natales eius, ſiue ſacrificiorum naturam, ſiue denique durationem ſpectes. Originem, quod certo eſt certius, non ex familia Abrahami deduxit Melchiſedecus ***) ſed Aron, eiuſque poſteri ad vnum omnes. Sacrificia nulla obtulit cruenta Abrahamo Melchiſedecus, ſed munera, panem nimirum ac vinum ad recreandos Abrahami comites, praelio itinereque fractos. Gen. XIV, 18. Longius etiam hoc Melchiſedeci Sacerdotium durauit, quam Aronis. Extitit enim ante Sacerdotium Aroni demandatum, omniſque finis expers fuit. Quam ſublimiorem doctrinam inter vtrumque Sacerdotium occurrentem bene introſpexit Ioannes Chrysostomvs †)*, aduerſus Iudaeos ita diſputans: σu ἱερευς εἰς τον αἰωνα, κατα την ταξιν Μελχισεδεκ; ἐδει γαρ εἰπειν κατα την ταξιν Ααρων. κ. τ. λ. *Tu es ſacerdos in aeternum, ſecundum ordinem Melchiſedec. Dicendum enim erat ſecundum ordinem Aron. Idcirco ait, ſi conſummatio per Leuiticum Sacerdotium erat, quid deinde opus erat, ſecundum ordinem Melchiſedec, exoriri Sacerdotem alium, qui non diceretur ſecundum ordinem Aron? Ex hoc enim liquet, illud Sacerdotium finem accepiſſe, et aliud in illius locum introductum eſſe multo melius, ac ſublimius. Hoc autem euicto, ſimul et illud in confeſſo eſt, alium etiam vitae ſtatum, Sa-*

 cerdo-

cerdotio congruentem, ſimul inducendum fuiſſe, nec non legem meliorem, nimirum noſtram. Quam nouam Eccleſiae formam introduxerunt Ieſu legati. Optime enim gnari, Chriſto non tribu Leui, et familia Aronis, ſed regia Dauidis ſtirpe nato, deſiiſſe iam hanc Sacerdotii rationem intelligebant. Perpendebant vlterius, Chriſtum nunquam Sacerdotum partibus in templo Hieroſolymitano, in offerendis ſacrificiis, ſed ſola legis interpretatione, et publica hominum inſtitutione, eſſe defunctum. Memores erant imperatorum, a ſuo ipſorum magiſtro omnium indulgentiſſimo acceptorum, non ſacrificia eſſe deferenda, ſed doctrinam ſalutarem diſſeminandam, et Sacramenta recentius inſtituta adminiſtranda. Adhaerebat illorum animis Ieſu vaticinium, de cultu Leuitico abolendo, et excidio reipublicae Iudaicae proxime exſpectando. Haec dum animo ſecum voluerent, credebant, aliam eſſe Sacerdotii in Eccleſia Chriſtiana formam inſtaurandam, nullumque diſcrimen in hominibus, ad miniſterium ſacrum vocandis, amplius conſtituendum.

*) Miſcell. S. Part. II. Exercit. V. de Melchiſedeci Perſona, et Myſterio. p. 71. ſeq.

**) Quid differat Sacerdotium Aroniticum a Melchiſedeci Sacerdotio plane inſolenti diligentius indagarunt *Fabritius*, in Diſſert. de Sacerdotio Chriſti iuxta ordinem Melchiſedeci. conf. *Thom. Tailorii* Chriſtus Reuelatus. Cap. IV. p. 13. ſeq. *Guil. Outramus.* de Sacrificiis Lib. I. Cap. IV. p. 45. Et ſaepe laudatus *Carpzouius*,

zouius, in Apparatu ad Antiquitt. Hebr. Lib. I. Cap. V. p. 65. ſeq. Ampla fuit ac difficilis, de hoc argumento inter Cyrillum, reliquoſque Eccleſiae doctores, et Neſtorium in Concilio Epheſino diſputatio. Iuuat hanc legere concertationem apud *Anaſtaſium* Bibliothecarium; Opp. Tom. III. in Not. ad vitam *Sixti* III. Pontificis. Sect. LXV. p. 129. edit. Blanchini. Nec incommoda eſt *S. Epiphanii* commentatio, Opp. Tom. I. Lib. II. Haereſ. LV. Melchiſedecianor. p. 471. his verbis tradita: *Sanctus ille Melchiſedecus nullum, neque poſt ſe, ſucceſſorem habuit, nec ei ſacerdotium eſt abrogatum, ſed Sacerdos toto vitae ſuae tempore manſit. Quare adhuc in ſacris litteris eadem Sacerdotii dignitate celebratur, cum nemo ei ſucceſſerit, aut illam Sacerdotii functionem, quam ſuo tempore nactus eſt, euerterit. Eodem plane modo, Dominus noſter, non nudus homo, ſed ex Deo Deus, Verbum, Deique filius, ab eodem nullo initio, aut tempore genitus, qui eſt cum Patre perpetuo, ſed homo tamen de Maria noſtra cauſa factus eſt. Qui quidem Sacerdotale Patri ſuo munus offert, accepta ex natura hominum maſſa, vt pro nobis Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedec ſucceſſione omni carentem conſtituatur.*

***) Acerrimae, de hoc Melchiſedeco, enatae ſunt inter Hiſtoricos, Criticoſque concertationes. *Petr. Cunaeus*, Melchiſedecum pro ipſo Dei filio, humana natura veſtito, vendidauit, de Republ. Hebr. Lib. III. C. III. p. 405. ſed egregie ab *Heideggero* in Hiſtor. Patriarch. Part. II. Exercit. II. p. 45. et *Io. Braunio*, in commentar. in Epiſtol. ad Hebr. ad h. l. caſtigatus eſt. *Hulſius* Henochum rediuiuum finxit, ſed ab *Herm. Elswichio* confutatus eſt. *Iurieu*,

Iurieu, in Hiſtor. Dogm. et Cult. P. I. Cap. IX. et X. p. 56. ſeq. Chamum adoptauit. Alii denique *Semum* ſelegerunt. Quicquid autem huius rei ſit, extra dubitationem eſt poſitum, illum non Abrahami familiae, ſed Cananaeorum genti eſſe vindicandum, pium videlicet inter Cananaeos virum extitiſſe hoc nomine clarum.

†) Opp. Tom. I. aduerſ. Iud. Demonſtrat. VII. p. 670. ſeq.

§. V.

Tertia huius mutationis expenditur ratio.

Diſpicienda nunc eſt tertia cauſa in hac diſputatione non negligenda, quae eſt hominum rebus ſacris praeficiendorum penuria tunc temporis obuia. Quodſi enim Ieſu nuntii miniſtros vel ex Hebraeis, vel ex Gentilibus tantum, eligendos ſtatuiſſent, non ſolum vnam laeſiſſent partem, ſed in tanto etiam hominum, quibus munus ſacrum demandari poſſit, inopia, rebus ſacris feliciter promouendis inieciſſent impedimenta. Res in luce eſt poſita, exiguum illo temporis tractu extitiſſe numerum virorum, quibus, ob ſalutaris doctrinae, qua adhuc premebantur, ignorantiam, munus docendi tradi poſſit atque tuto committi. Aegre mihi perſuadeo, dona adminiſtrantia, in ſolida rerum diuiniorum, et linguarum peregrinarum notitia conſpicua, tam pleno gurgite, prout Apoſtolis accidit, in alios viros, quos appellamus Apoſtolicos, eſſe effuſa. Diligentiore

opus

opus erat inſtitutione, ab Apoſtolis, in formandis nouis Eccleſiae doctoribus, ſuſcipienda. Deficiebant homines neceſſariis doctrinae Chriſtianae fundamentis inſtructi, in remotiſſimas, ad diſſeminandam religionem puriorem, terrarum partes nunc amandandi. Praeuidit hanc ipſam doctorum inopiam Chriſtus, in haec ſuſpiria auro cedroque digna erumpens: *meſſis magna eſt, ſed pauci ſunt operarii, implorate Dominum meſſis, vt operarios mittat in ſuam meſſem.* Luc. X, 2. Excitauit autem ille ipſe ſapientiſſimus Eccleſiae conditor, primis et ſequioribus ſaeculis, multos fidos, doctos, et ampliſſimis dotibus praeditos miniſtros, quorum opera, inſtitutione, vigilantia, quin immo cruenta confeſſorum martyrumque morte, ciuitas Chriſtiana maxima recepit incrementa. Nolo horum doctorum, quos hiſtoria Eccleſiaſtica commemorat, in mediam adducere nubem. Demonſtrat potius haec cita admirandaque religionis Chriſtianae propagatio, ab exiguo Apoſtolorum numero praeſtita, religionis, quam dixi, Chriſtianae veritatem, ſummamque diuini Numinis, in rebus feliciter promouendis, augendiſque prouidentiam, eamque miraculoſam. Lento noſtra aetate procedunt gradu conuerſiones hominum, ab Eccleſiae tam Lutheranae, quam Catholicae ſociis inter barbaras gentes, pertinaceſque Iudaeos ſuſceptae, nec tam amplas, intra breue temporis ſpatium, habent ſucceſſiones, Tempore vero Apoſtolo-

rum

rum pauci extiterunt rerum ſacrarum interpretes, quorum opera, breui admodum temporis tractu, doctrina ſanctior in omnes terrarum partes eſt diſſeminata. Tantum omnino intereſt inter conſilia diuina ad res, in Eccleſia totoque orbe feliciter gerendas, ſapienter inita, et hominum molimina, in propaganda religione, pio animo ſuſcepta.

§. VI.

Quarta huius mutationis proponitur cauſa.

Quarta, quae leges, circa Sacerdotes vitioſos, Moſaicas emendandi ingeſſit conſilium, iam penitius eruenda eſt ratio. Pono illam in regiminis Eccleſiaſtici forma ab Apoſtolis introducta, a regimine et ſtatu antiquioris Eccleſiae admodum aliena. Hactenus ſocietas Sacerdotum, in gente Iudaica diſtinctum, conſtituit ordinem, ſeu, vt verius dicam, ſeparatum aliquem in Republica Iudaica ſtatum. Cum autem familia Chriſti ex omnibus populis eſſet colligenda, haec ipſa diſciplinae Eccleſiaſticae facies erat antiquanda, et alia praeſenti Eccleſiae ſtatui melius inſeruiens adoptanda. Miniſterium ſacrum non eſt ſublatum, ſed aliis regulis et legibus firmatum. Quo vero eo melius omnia in coetu Chriſtianorum ſacro procederent, certum omnino inter *docentes*, et *audientes*, ſeu ut rotundius dicam, inter miniſtros, qui ſacro defungerentur munere, et auditores, qui horum fruerentur inſtitutione, ac opera, diſcrimen erat

con-

conſtituendum. Duo inde enati ſunt; *docentium* atque *audientium*, ordines, quo res Chriſtianae felici gauderent ſucceſſu. Turpiter autem fallitur, quiſquis ſibi perſuaſerit, omnia tumultuarie in delectu Eccleſiae miniſtrorum in prima ciuitate eſſe facta. Proſtant ad hanc opinionem conuellendam teſtimonia in Epiſtolis ſacris luculenta, quibus totus eligendi conſtituendique miniſtros confirmatur modus. Munus docendi viris, pro illius temporis ratione, piis et doctis tradebatur, qui modo Epiſcopi, modo Presbyteri, modo Diaconi, prout ſacrae teſtantur tabulae, appellabantur. Nullam, neque Apoſtolos, neque primos illorum Succeſſores affectaſſe dignitatem atque imperium, ſed diſtinctas Clericorum claſſes, temporis demum ſucceſſu eſſe enatas, vberius demonſtrarunt CLAVD. SALMASIVS *), et ISAAC. BARROW **) alii. Nulla habebatur dignitatis et externae conditionis ratio, ſed ſufficiens rerum ſanctiorum cognitio, perſpecta ipſorum fides, et animi morumque integritas veniebant in cenſum. Hiſce viris, de quorum doctrina, probitate, et indole bona res erat cognita, atque explorata rerum ſacrarum tradebatur cura. Mearum iam non eſt partium, argumentum de regimine Eccleſiaſtico diligentius perſequi, ſed legi poſſunt BVDDEVS ***), ill. MOSHEMIVS ****), ven. CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS *****), ven. Io. GEORG. WALCHIVS †), FRID. SPANHEMIVS

MIVS ††), CAMP. VITRINGA †††), BINGHAMVS ††††), et IVST. HENNING. BOEHMERVS †††††). Paulo ſi nunc attentius ſpectes hoc regimen ab Apoſtolis conditum, illud Pontificis Maximi vicem Chriſti in terris ſuſtinentis eſt expers. Omnium certiſſimi erant huius Eccleſiae ſtatores, Chriſtum ſuo ex promiſſo ſuae ſocietati perpetuo eſſe praeſentem, nec illum aliquo indigere Pontifice in mundo viſibili. Matth. XXVIII, 20. Perpetua, ob mortem Pontificum, in Eccleſia Iudaica dabatur Sacerdotum Summorum ſucceſſio, quae praeſente nunc Chriſto exſpirabat, quod multis argumentis confirmat Paullus. Hebr. VII, 12. 23. ſeq. Chriſtus aeternum ſuſtinet Sacerdotium. Hocce ipſo nomine facies Eccleſiae Chriſtianae, prae Eccleſia vetere, multo illuſtrior erat futura. Nulla ſtabilita eſt ordinis Sacerdotalis monarchia, nullum quoque introductum imperium. Quae ſi contempleris penitius, nihil profecto in his Apoſtolorum et primae Eccleſiae inſtitutis, quod leges Moſaicas aut faſtum redoleat, deprehendes.

*) Walo Meſſalinus ſ. *Claud. Salmaſius*, in Diſſert. de Epiſcopis, et Presbyteris, Adv. Dionyſ. Petauium.

**) Works Vol. I. Treatiſe of the Popes Supremacy. p. 600. ſeq.

***) de Eccleſ. Apoſtolic. Cap. VI. p. 748. Miſcell. S.

****) Inſtitut. Hiſtor. Eccleſiaſt. Saec. I. Part. II. Cap. II. p. 197. et in Commentar. in Hiſtor. Chriſtian. Saecul. III. §. XXIII. p. 574. ſeq.

§. VII.

Quinta adfertur ratio.

Quinta, quae leges Moſaicas, de Sacerdotibus corpore corruptis, emendandas ſuaſit, ratio, eſt ipſa cultus ſacri in Eccleſia Chriſtiana mutatio. Munus Sacerdotum antiquioris Foederis circa externum, eumque valde operoſum, inprimis occupatum erat cultum, in mactandis ſacrificiis, iiſdemque offerendis, luſtrandis, et comburendis, nec non in oblationibus ſeu donis Deo reddendis. Quae cultus a Deo demandati ratio, validas requirebat corporis vires. Mutata vero hac rerum ſacrarum forma, et inſtaurata noua, eaque faciliore ratione, meo iudicio, corporis omniumque partium integritas non adeo neceſſaria erat. Nulla quippe in Eccleſia Chriſtiana extant ſacrificia cruenta; nulla eiuſdem generis munera, ex frumentis praeparanda. Nolo tamen hunc ſanctiſſimum antiquioris Eccleſiae cultum eo nomine caſtigare. Placuit enim Summo Numini, Vetere Inſtru-

*****) in Originib. Iur. Eccleſiaſt. p. 50. ſeq.

†) Hiſtor. Eccleſiaſt. Saecul. I. Cap. III. p. 433. ſeq.

††) Hiſtor. Eccleſiaſt. Opp. Tom. II. p. 871.

†††) Synagog. Vet. Lib. II. Cap. XII. p. 592.

††††) Origin. ſ. Antiquitt. Eccleſiaſt. Vol. II. Lib. II. Cap. XXII. p. 341. ſeq.

†††††) Diſſert. VI. de Iur. Eccleſiaſt. p. 350. et Iur. Eccleſiaſt. Proteſtant. Lib. I. Tit. XXII. p. 553.

Inſtrumento externis ſacrificiorum ſpectaculis, et ampliſſimis ritibus, doctrinam ſpargere puriorem, quia hic modus Deo tunc temporis magis aptus videbatur, quam vti libris conſcriptis, et orationibus publicis, prout obſeruat Frantivs *). Soli purioris fontis, et ſacrae Euchariſtiae, actus in noſtra Eccleſia aliquod requirunt in miniſtris Eccleſiae robur. Mediocri vero virtute opus eſt, qua infantes adhuc tenelli, ſacra aqua iam luſtrandi, manibus ſuſtentari poſſint. Eadem eſt leuitas, in gerendis propinandiſque ſacrae Euchariſtiae panibus caliciburſque. Conſtat enim, calices noſtro aeuo efformatos non tanti exiſtere ponderis, quales fuerunt *Caroli* M. et *Gregorii* II. Pontificis, Eccleſiis dono dati, quorum prior LVIII. marcarum, poſterior autem XXX. marcarum valuit pondere **). Credibile tamen eſt, hos calices magis ad ornamentum, quam ad vſus publicos, ex liberalitate et munificentia eſſe datos. Suſtulit Deus ex Eccleſia Chriſtiana tam laborioſum et difficilem cultum, eumque leuiorem reddidit ac perfectiorem. Prior enim, quam modo dixi, colendi ratio, circa res inprimis externas, ſacrificia nimirum, dona ſacra, et luſtrationes verſabatur, publica vero inſtitutio viua voce tradenda, ſtatis tantum diebus,

*) Schola Sacriſic. Patriarch. Diſput. VIII. §. XXV. p. 184.

**) Binii Concilior. Tom. III. Part. I. Sect. I. p. 339. ſeq. et Sect. II.

bus, maxime vero in Synagogis tractabatur. Si etiam laudatis viris, FRANTIO ***), RIVERO ****); et HEIDEGGERO *****) conceſſerim, orationes in offerendis ſacrificiis eſſe habitas, illae tamen breuiores fuerunt formulae a Sacerdote ſacrificante tantum declamatae, quales forte ſunt in noſtra Eccleſia, in ſacro fonte, et ſacra Euchariſtia, receptae, Summa contra miniſterii ſacri in Eccleſia Chriſtiana conſtituti potiſſimum ad inſtitutionem hominum Chriſtianorum redit, quae etiam in ipſis Sacramentis tractandis, vti conſtat, obtinet locum.

§. VIII.

Sexta huius mutationis adducitur cauſa.

Sextum meae ſententiae, de emendatis inſtitutis Moſaicis, firmamentum, in officiis a miniſtris Eccleſiae Chriſtianae peragendis haud temere pono. Natura huius muneris nititur inſtitutione in ſacra corona praeſtanda, quae magis animi dotes requirit, quam corporis vires. Eſto, arcanorum diuinorum interpretem aliqua laborare corporis, ſiue oculorum, ſiue mantuum, ſiue denique pedum imbecillitate, certe illa munera non prorſus impedire poterit obeunda. Secus autem ſe res habet in Sacerdotibus antiquioris Eccleſiae, quorum officium vi-

H 2

***) Laudat. lib. Diſput. IV. p. 61. ſeq.

****) Oper. Tom. I. Exercit. CLXX. ad Geneſ. p. 645.

*****) Hiſtor. Patriarch. Tom. II. Exercit. XXI. p. 677.

virium poſtulabat robur. Satis eſt, miniſtrum noſtrae Eccleſiae integris membris eſſe praeditum, quae integritas excludit membrorum defectum, oculorum coëcitatem, aurium ſurditatem, epilepſiam, linguae vſum minus rectum, aliaque huius generis vitia. Aptus omnino erit ad officii partes ſua in prouincia rite adminiſtrandas. Si etiam acciderit, vt alicuius tantum membri ad rem ſacram tractandam non tantopere pertinentis laboret infirmitate, propterea a ſacris non arceatur agendis. Emendarunt itaque Apoſtoli, et Eccleſiae praeſules, has leges Moſaicas paulo rigidiores, dotes inprimis animi in conſtituendis Eccleſiae miniſtris obſeruantes. Tradit diuus Paullus praeſtantias et virtutes in Epiſcopis, Presbyteris, et Diaconis Eccleſiae indagandas, quarum ſummam paucis verbis, ex 1 Tim. III. 6. ſeq. C. IV. 12. ſeq. Tit. I. 7. et oraculis Petrinis Cap. V. 2. 3. recitabo. Debet iuxta 1 Tim. III. v. 2. ſeq. Epiſcopus eſſe ἀνεπιληπτος *) *irreprehenſibilis*: μιας γυναικος ἀνηρ **) *vnius vxoris maritus*: νηφαλιος ***) *ſobrius, vigilans*: σωφρων ****) *temperans, prudens*: κοσμιος *****) *ornatus, mundus*: φιλοξενος †) hoſpitalis.

*) Notat haec dictio hominem, ſcelere et macula vacuum, vti Plutarchus de Educat. Puerorum, Cap. VI. requirit, vt ſint ἀδιαβλητοι, τοις τροποις ἀνεπιληπτοι, nullis criminationibus obnoxii, et moribus irreprehenſibiles. Ad Tit. I. v. 6. occurrit verbum ἀνεγκλητος. Leg. de priore verbo *Suiceri* Theſaurus Eccleſiaſt. p. 338.
Elſneri

Elſneri Obſeru. S. ad h. l. p. 294. Admonentur hoc nomine Eccleſiae miniſtri, vt omnia, quantum humana permittit natura, exuant vitia, eaque inprimis, quae facile Iudaeos, caſtioreſque laedere poterant Gentiles, atque eoſdem a Chriſtiana repellere ciuitate. Debebant potius eſſe doctrinae, vitaeque honeſte transducendae, exemplum.

**) Non agere Apoſtolum, de Polygamia ſucceſſiua, ſed ſimultanea, res certa eſt, licet nonnulli Patres, quorum veſtigia premit Eccleſia Graeca, illud mandatum de interdictis nuptiis ſecundis ſint interpretati. Leg. *Suiceri* Theſ. Eccleſiaſt. Tom. I. p. 893. *Cotelerius* in PP. Apoſtolic. Tom. I. p. 90. *Thomaſſinus* in Vet. et N. Diſciplin. Eccleſiaſt. Tom. I. Part. I. Lib. II. Cap. LX. p. 886. ſeq. *Haſaeus* de Epiſcopo δευτερογαμω. *Balduini* Commentar. ad h. l. p. 1295. Ven. *Heumannus* in Poecile Tom. I. ad h. l. p. 327. conf. *Wolffii* Cur. Philologic. ad h. l. p. 432. ſeq.

***) νηφαλιος. Hoc verbum, et ſobrium notat, et vigilantem. Si prius ſeligas, opponitur παροινῳ, homini ebrioſo, et vinolento. v. 3. Memoria dignum eſt, Graecos celebraſſe feſtum, quod ſine vino, et apparatu ciborum, duro admodum ieiunio erat peragendum, inde dictum νηφαλια, de quo legi poteſt *Io. Potterus*, Archaeol. Graec. Vol. I. Cap. IV. p. 214. Nota quoque ſunt Sacrificia Gentilium ὑδροσπονδα, aquaria, inde dicta νηφαλια, ſeu ſacrificia ſobria, de quibus leg. *Io. Saubertus*, de Sacrificiis. Cap. XXXV. p. 582. ſeq. Verbum νηφειν apud optimos Eccleſiae Graecae Patres ſignificat, temperantem eſſe, et frugaliter viuere: quo ſenſu *Lud. Creſollius*, homo catholicus, illud interpretatur, de temperantia, ab

hominibus ſacris, ad ſubigendos carnis ſalacis impetus, fortiter excolenda. vid. Myſtagogus, de Sacror. Homin. Diſciplina. Lib. IV. Cap. VII. p. 903. edit. Pariſ. Si vero alios locos expendas confines, videtur Paullus non tam ad temperantiam, ac frugalitatem, quam potius ad vigilantiam a praecone ſacro obſeruandam dirigere oculos. Quo ſenſu haec dictio inprimis ſumitur 1 Theſſ. V. 6. 8. 2 Tim. IV. 5. Tit. II. 2. 1 Petr. V. 8. Vigilantem enim eſſe oportet Eccleſiae Chriſtianae Praeſulem, vt res Chriſtianas promoueat, et pericula imminentia ſuo a coetu ſapienter auertat. Quam ſententiam plerique approbant interpretes, *Balduinus*, *Heumannus*, alii.

****) σωφρων. Hoc vocabulum varias inter ſe minus pugnantes habet notiones. *Primo* σωφρων, et σωφροσυνη, ſignificant prudentiam, quam omnium virtutum primam, et ducem nominat *Plato*, de Legib. Lib. III. p. 533. et *Cicero* Quaeſt. V. Taſculan. σωφροσυνην appellat temperantiam moderatricem omnium commotionum. *Secundo* hoc nomen apud *Chryſoſtomum* Homil. XX. in Epiſtol. ad Rom. p. 176. ſumitur, de modeſtia. *Tertio* ſumitur, de caſtitate et temperantia; inde σωφρονες ὀφθαλμοι, apud *Antoninum* Philoſophum. Nec minus *Iſidorus* Peluſiota, Epiſt. CCLVI. Lib. III. p. 365. hoc nomine intelligit caſtitatem, et continentiam, quae etiam in thoro ſeu coniugio obſeruanda eſt. Quam interpretationem *Baſilius* et *Chryſoſtomus* quoque habent. Quae ſi ſtudioſius contempleris, facile credideris, hanc dictionem de modeſtia et caſtitate, diligentius exercenda, eſſe intelligendam, adeoque a verbo νηφαλιος prorſus diuerſam.

*****) κοσ-

*****) κόσμιος, ſignificat hominem mundum, ornatum, et percultum, qui non ſolum in externo corporis cultu amat munditiem, ſed moribus etiam bene compoſitis decori inſeruit, qua notione hoc verbum apud profanos auctores crebrius occurrit. Leg. *Suiceri* Theſaur. Eccleſiaſt. Part. I. p. 147. et *Elſneri* Obſeruat. S. ad h. l. p. 294. Vtramque, et corporis, et morum elegantiam ob oculos poſitam habuiſſe videtur Apoſtolus. Etenim Sacerdotes tam apud Iudaeos, quam Gentiles, ſplendido ac honeſto vtebantur veſtitu, vt aliquam ſibimetipſis conciliarent auctoritatem, ſeque ab hominibus ſepararent gregariis. Accedebat morum modeſtia, a ſacerdotibus Hebraeorum rite tenenda. Videtur Paullus vtramque, et animi, et corporis indicare probitatem, ne ſorditie ſacerdotum, ac moribus male feriatis offenderentur Iudaei, nec non gentiles, ad corporis animique culturam mirifice attenti. Quam temere ex aduerſo Gentiles Chriſtianis exprobrarint mores parum excultos, legi poteſt apud *Kortholtum*, in Obtrectatore Pagano; et cl. *Gudium*, in commentat. de Pagano Chriſtianorum laudatore, et fautore.

†) φιλόξενος, hoſpitalis. Hoſpitalitas primis Eccleſiae Chriſtianae ſaeculis tanto exercebatur ſtudio, vt ipſe *Iulianus*, Imperator, Apoſtata, ipſam miraretur Chriſtianorum munificentiam, et humanitatis officia. Eadem humanitas peregrinis praeſtanda inculcatur 1 Petr. IV. 9. Hebr. XIII. 2. Diſſerui, de hac Chriſtianorum liberalitate, plenius; in lib. de Litteris Communicatoriis. §. 33. p. 69. Commendandum erat hoc humanitatis officium Epiſcopis, quia crebrius accedebant homines, extorres,

et miſeri, qui erant fouendi, et, quantum fieri poterat, honeſte alendi.

§. IX.

Reliquae Miniſtrorum Eccleſiae recenſentur virtutes.

Recitandae ſunt reliquae, quas Apoſtolus ab Epiſcopis, et rerum ſacrarum moderatoribus, poſtulat virtutes, ex quibus apparebit, quantum diſtent a Veteris Teſtamenti Sacerdotibus. Requiritur, vt Epiſcopus ſit διδακτικος *a) aptus ad docendum;* μη παροινος *b) non ebrioſus ſeu ebrietati deditus:* μη πληκτης *c) non percuſſor;* μη αἰσχροκερδης *d) non turpis lucri cupidus;* ἐπιεικης *e) modeſtus, manſuetus;* ἀμαχος *f) mitis;* ἀφιλαργυρος *g) non opum auidus, auarus;* καλως προιϛαμενος *h) qui bene praeeſt (familiae);* μη νεοφυτος *i) non novitius;* μη τυφωθεις *k) non inflatus ſuperbia:* μαρτυριαν καλην ἐχων *l) bonum habens teſtimonium.* Nec praeteriit Paullus diaconorum, et reliquorum miniſtrorum ſacrorum, praeſtantias, quae ſunt, vt diaconus exiſtat σεμνος *m) honeſtus;* μη διλογος *n) non bilinguis;* μη οἰνω προσεχων *o) non temulentus;* μη αἰσχροκερδης *p) non turpis lucri cupidus;* ἐχων το μαρτυριον της πιϛεως, ἐν καθαρα συνειδησει *q) conſeruans teſtimonium ſeu myſterium fidei in bona conſcientia;* δοκιμαζεσθωσαν πρωτον *r) probentur, examinentur prius;* ἀνεγκλητοι ὀντες *inculpati ſint.* Quas ſi nunc paulo attentius

con-

contempleris virtutes, quibus inſtructi ornatique eſſe debeant omnis generis miniſtri, rebus ſacris praeficiendi, facile intelliges, Miniſterium Eccleſiae Chriſtianae, Sacerdotio Veteris Teſtamenti, multis nominibus eſſe praeferendum. Etenim ampliores animi dotes atque decora poſtulantur, ab his rerum diuiniorum interpretibus, quam in Sacerdotibus Veteris Eccleſiae Iudaicae conſpiciebantur. Quae quum plana ſint ac peruia, non poſſum a me impetrare, vt VITRINGAE s) et IAC. RHENFERDO t) ſubſcribam, qui arbitrantur, Miniſterium Eccleſiae recentioris ad formam imaginemque antiquioris Eccleſiae ab Apoſtolis eſſe compoſitum.

a) διδακτικος. Haec dictio 2 Tim. II. 24. repetitur. Neruus autem eiuſdem in Epiſtola ad Titum I. 9. explicatur. Requiritur hoc vocabulo, 1) vt homo donis naturalibus, et acquiſitis, nec non diuinis ſit praeditus, 2) vt ὑποτυπωσιν ſanae doctrinae habeat, 3) vt ſciat ὀρθοτομειν verbum diuinum; 4) vt paratus ac aptus ſit ad falſam doctrinam refellendam. Pluribus de hoc verbo diſſerit *Vitringa* in Synagog. Vet. Lib. III. Cap. IV. p. 650.

b) παροινος eſt homo ebrietati deditus. Arbitratur *Elſnerus* in Obſeruatt. S. ad h. l. p. 295, illud verbum notare hominem iniurioſum, qui alios friuole laceſſit, atque opponi verbo ἐπιεικης. Inde Heſychius παροινιαν appellat naſcentem ex ebrietate contumeliam, iniuriamque. Placet mihi *Balduini* in Commentar. ad h. l. p. 1297. ſententia, qua ſtatuit, hoc nomine

mine cauſam et effectum coniungi, quia homines ebrii plerumque in alios ſunt iniurioſi.

c) πληκτης, apud *Plutarchum* in vita Marcelli ſignificat virum manu ſtrenuum; nec non hominem, qui manus violentas aliis infert. Inde *Iuſtinianus* Imperator Nou. CXXIII. demandat, ne Epiſcopus τινα πληκτην, quemquam percutiat. Rectius autem haec dictio a plerisque Patribus explicatur, de leni ac paterna auditorum emendatione, ac caſtigatione, vti 1 Tim. V. 1. 2. hoc nomen a Paullo adhibetur. Quam explicationem plerique omnes Commentatores et Critici vero ſimillimam eſſe ſtatuunt, *Balduinus* in Commentar. l. c. ven. *Heumannus* lib. memor. p. 344. *Suicerus* in Theſaur. Eccleſiaſtic. ad h. verb. p. 751. *Raphelius* in Not. Xenophonteis, p. 181. et *Dan. Heinſius* in Exercitat. S. ad h. l. p. 513.

d) αισχροκερδης, quo nomine homo ſordidus, qui officium habet quaeſtui, et turpis lucri cupidus eſt, intelligitur. Quod vitium acrius reprehenditur Tit. I. 11. Phil. III, 19. 2 Cor. XI. 12. 1 Petr. V. 2. Caſtigantur hoc verbo homines ſacri, qui officia, ob commoda huius vitae, ambiunt, totique in eo ſunt, ut ſepoſita, gloriam Dei et animarum ſalutem promouendi, cura, opes corradant ac diuitias. Huius criminis porro aeſtimantur rei, qui alia tam ſuis ipſorum perſonis, quam muneribus, indigna exercent negotia, vt lucrum capiant. Reprehenditur hoc lucri ſtudium in Conſtitutionibus Apoſtolicis apud *Coteleriuni*, in PP. Apoſt. Tom. I. Lib. II. Cap. VI. p. 216. Lutherus ſua in verſione hoc verbum reddidit; negotia tractare minus honeſta, eo videlicet fine, vt emolumentum capiat. Quorſum, verbi gratia, ſpectant mercatura, res caupona-

ria,

ria, et alia negotia, non quidem ſua natura inhoneſta, ſed animarum paſtore indigna. Huc quoque referri poteſt partium ſtudium, quo Clerici ſaepiùs res nullius ponderis magnopere vrgent, interdum autem grauiora delicta ſilentio premunt, vt aliquid lucri capiant.

e). ἐπιεικης, aequus, lenis, manſuetus, qui opponitur πληκτη. Decet enim Eccleſiae miniſtrum, res ſuas, quantum fieri poteſt, cum lenitate agere, ac manſuetudine, vt non imperare, ſed monere, ac hortari videatur. Conf. *Leighii* Critic. S. N. T. p. 115.

f) ἀμαχος, lenis et a rixis ac iurgiis maxime alienus, qua in notione hoc vocabulum occurrit 2 Tim. II. 24. *Dan. Heinſius* hoc nomine intelligit virum, qui conſcientiam non percutit ſeu laedit, forte malo exemplo, rixis, aut falſa doctrina. Exercitat. S. ad h. l. p. 513.

g) ἀφιλαργυρος non auarus. φιλαργυρια eſt nimia rerum alienarum cupiditas, quae in auaritiam deflectit, quam omnium malorum radicem appellat Paullus 1 Tim. VI. 10. Legatur, de hac dictione, *Suiceri* Theſaur. Eccleſiaſt. ad h. v. p. 1427. Diligentius, de huius verbi poteſtate, diſputat *Heinſius*, ſtatuens, plus ponderis latere in nomine πλεονεξια, quam φιλαργυρια, quod poſterius ex linguae Graecae genio non auaritiam ſuo in ambitu exprimeret. Exercitat. S. ad h. l. p. 521. et *Leighii* Critic. S. N. T. p. 54. *Suiceri* Theſaur. Eccleſiaſt. ad h. v. p. 1427. Non nego, aliquid diſcriminis inter haec duo dari nomina. Voluit autem Paullus hoc mitiore vocabulo monere rerum diviniorum nuntios, vt ſibimetipſis a ſtudio divitiarum acquirendarum, quod tandem in avaritiam

ritiam deflectit, ſedulo caueant, et animum ex aduerſo habeant ſorte ſua, et re viliori, contentum. Quae admonitio tanto magis erat neceſſaria, partim, vt intelligerent homines ad familiam Chriſti acceſſuri, multum differre Ieſu legatos, eorundemque diſcipulos, a falſis Apoſtolis, qui munus habebant quaeſtui, et ſuorum auditorum abutebantur munificentia, 2 Cor. XI. 20. 2 Petr. II. 3. partim, vt miniſtri Eccleſiae tenuem rerum ad vitam tolerandam prouentum aequi conſulerent ac boni. Illa enim aetate miniſtri ſacri certis deſtituti erant ſtipendiis, et donis Chriſtianorum in communem vſum libere datis alebantur. Hacce in parte illi Paulli introſpicere poterant agendi rationem, qua multa tulit, ſudauit, et alſit, ne ſuis auditoribus fieret moleſtus, et obtrectatoribus criminandi cauſam daret vllam. Quod ἀφιλαργυρείας exemplum in diuo Paullo conſpicuum Eccleſiae miniſtri ad imitandum ſibimetipſis proponere poterant. 1 Cor. IV. 11. 12.

h) προστατα et προιστάμενοι appellabantur in Republica Athenienſium, praeſides et tutores vrbis, quibus nomina ſua indicabant ciues, et auxilium ab illis in rebus dubiis exſpectabant. vid. *Potteri* Archaeol. Gr. Lib. I. Cap. X. p. 46. et *Aelianus* Var. Hiſtor. Lib. XII. Cap. XLIII. p. 798. Translatum deinceps eſt hoc vocabulum ad Eccleſiam, et ſignificauit viros, quibus cura rerum Eccleſiaſticarum, potiſſimum autem aerariorum, et alendorum pauperum, et viduarum eſt tradita. Ita Phoebe appellatur προστατις Rom. XVI. 1. 2.

i) μη νεοφυτος, non nouitius. Sumitur haec dictio proprie de planta recens ſata νεοφυτον δενδρον. 1 Cor. III. 6. 7. 8. Et Chriſtiani dicuntur

cuntur σύμφυτοι Rom. VI. 5, cum Chriſto plantati. *Improprie*, de homine recens ad fidem Chriſtianam conuerſo. Νεόφυτος itaque eſt vir, iam a catechumenis ſeparatus, ſed in tyrocinio adhuc conſtitutus, et ad ſolidiorem rerum diuinarum cognitionem formandus, cui non ſtatim arduum miniſterium in Eccleſia ſubeundum eſt committendum, donec ſe exercitatum, ſatiſque perſpectum praeſtiterit. Regulis deinceps, in canone XI. Synodi Neo *Caeſarienſis*, et canone XVII. Concilii *Agathenſis* cautum eſt, ne hominibus ſacris ante annum aetatis XXX munus committatur. Sequuti forte ſunt Eccleſiae Praeſules morem Hebraeorum, nec minus exemplum Chriſti, qui ineunte anno aetatis trigeſimo auſpicatus eſt in terris officium, ipſi a Patre demandatum. Videtur quidem hanc aetatem nondum attigiſſe Timotheus, quia Paullus monet, ne quis eius deſpiciat iuuentutem, 1 Tim. IV. 12. At ſingularia, quibus inſtructus fuit, dona divina, hanc legem omnino mitigant 1 Tim. I. 18. Leges inde in Concilio Laodiceno ſancitae ſunt, ne νεοφύτοις ſtatim ampla tradantur munera. Leg. *Suiceri* Theſ. Eccl. p. 395. et *Leighii* Critic. S. N. T. p. 217. et Hiſtoria noſtra, de vſu Symbolorum. Sect. II. Part. I. §. XXIII. p. 105. ſeq. conf. *Bernh. von Sanden:* de Neophytis ad miniſterium verbi non admittendis.

k) τυφωθεὶς non inflatus. Legitur hoc vocabulum 1 Tim. VI. 4. Notat hominem faſtu et ſuperbia inflatum. *Clemens Alexander* Paedag. Lib. III. Cap. XII. p. 262. ſcribit: τετυφωμένοι, καὶ συνετοὶ ἐν ἀυτοῖς: ſuperbi, inflati, et ſibimetipſis ſapientes. Et *Theophylactus* in Commentar. ad h. l. p. 789: τῦφος inflatio, aegrotantis

tantis animae eſt tumor, quemadmodum inflammatio in corpore. Remouendos eſſe ſtatuit Apoſtolus hos viros ab Eccleſiae miniſterio, tanquam ſuperbos, elatos, et incrementis publicis nociuos, quia aliis plerumque inſultant, et turbas, rixaſque excitant. Multis facile exemplis demonſtrarem, ſi illud anguſti ſcriptionis limites permitterent, quam noxia fuerit rei Chriſtianae doctorum ſuperbia. Quo nomine inprimis caſtigandi ſunt *Marcion*, *Arius*, *Paullus Samoſatenus*, alii, qui imaginaria ſapientia turgidi, et digniora munera appetentes, Eccleſiam turbarunt Chriſtianam. Legi de hoc argumento meretur *Io. Guil. Bayeri* Diſput. de ambitione Haereſium cauſa. Ien.

l) Bonum habeas teſtimonium. Additur *ἀπὸ τῶν ἔξωθεν*, ab exteris. Nemo, teſte *Xenophonte*, de Republic. Lacedaemonior. p. 684. neque in ciuitatem, neque in commercium luctarum publicarum recipiebatur, niſi bono ornatus teſtimonio. Leg. vlterius *Lydius* in Agoniſtic. S. p. 137. et *Lackemacherus*, in Antiquitt. Graec. S. Part. IV. Cap. IV. p. 655. Nullus igitur Eccleſiae miniſter ad officium erat admittendus, niſi etiam a ſuis ciuibus, quibus prius erat adſcriptus, teſtimonio integrae vitae eſſet auctus. Turpe enim foret Eccleſiae Chriſtianae, tales recipere viros, qui malae famae laborarent nota. Poterant enim, vti additur, incidere in aliorum criminationes. Quae agendi ratio in noſtra quoque tenetur Eccleſia, dum, de Candidatorum ſacri miniſterii moribus et integritate publica in concione inſtituitur exploratio. Sequitur noſtra Eccleſia antiquioris Chriſtianae inſtitutum, quo miniſtri Eccleſiae communi ſuffragio Cleri, et

Google

populi eligebantur. Legi poteſt ill. *Mosbemius*, in Commentar. in Hiſtor. Chriſtian. Sec. III. §. XXIII. p. 576.

m) σεμνος honeſtus, ſeu praeditus moribus bene compoſitis. σεμνα, Paullo Phil. IV. 8. dicuntur ea, quae ſunt honeſta, et verecunda. Ita virgines appellantur apud *Clementem* Alexandrinum Lib. III. Stromat. σεμναι, caſtae, verecundae. Et loca ſacra, σεμνα, et σεμνεια. vid. *Suiceri* Theſ. Eccl. p. 947. Reſpicit, ni fallor, Paullus hoc nomine morum caſtitatem, nec non grauitatem, ita quidem, vt homines, vitae ſanctitate, et morum elegantia, ſiſtant exemplum, in quod alii introſpiciant, et inde ſibimetipſis ſumant, quod in vita, nomine Chriſtiano digna transducenda, ex vſu eſſe poſſit.

n) Non bilinguis. Διλογος, idem eſt ac διψυχος. Iac. IV. 8. et notat homines fallaces, et doloſos, qui aliter loquuntur, aliter ſentiunt, quo nomine caſtigantur Tyrii a profanis auctoribus. Non fertur ad linguam, ſed ad animum. vid. *Dieterici* Antiquitt. Biblic. Vol. I. p. 244. Non nego, vocabulum διλογος ſignificare ſermonis fallaciam, qua quis in vita familiari vtitur, dum aliis leuiter perſuadet, rem ita eſſe comparatam, quae tamen ſe aliter habet. Qua fraude, in decipiendis aliis hominibus, vacui eſſe debent miniſtri, quos veritatis, et animi ingenui, decet ſtudium. Putarem tamen, aliquid amplius in hoc latere nomine, verſipellem nimirum in doctrina Chriſtiana animum, quo orator ſacer, in veritate diuina aliis tradenda, dubius haeret ac anceps, ita quidem, vt more *Latitudinariorum*, vti audiunt, religionis foueat ſcepticiſmum, nec conſtantem et firmam in eadem teneat ſententiam. Quo ancipiti religionis ſtudio hypocri-

pocritam agit, alioſque facile decipere, et illis religionis indifferentiſmum ingerere poteſt. Recordor enim animaduerſionis, qua Paullus acrius reprehendebat Petrum, quod, cum aliquando liberius cum gentilibus ageret, aduenientibus autem Iudaeis, clanclum ſe ſubduceret, hac ratione hypocriſis non effugiens notam, et ab homine διλογῳ non remotus erat Gal. II. 11. ſeq. Videtur igitur mihi διλογος eſſe homo, qui tam in vitae vſu, quam doctrina, admodum lubricus eſt, quique animi et religionis laborat inconſtantia.

o) Non vinoſus, temulentus. Iam Leuit. X. v. 9. 10. Sacerdotibus in templo, res ſacras tractantibus, demandatum erat, ne vinum, aut potum inebriantem, ſumerent, et vitium aliquod admitterent. vid. *Guil. Surenhuſius* in Op. Miſchnic. Part. II. Tract. de Ieiuniis. p. 368. et *Io. Spencerus*, de Legib. Hebr. Ritual. lib. Lib. I. Sect. IV. Cap. VII. p. 232. Pleraſque apud percultiores gentes, ebrietas, ſummo ponebatur in crimine, a quo hic loci rerum ſanctiorum interpretes reuocat Apoſtolus. Non enim minore religione, et caſtitate animi, corporiſque in Eccleſia Chriſtiana, ſacra erant perficienda, quam in Eccleſia, vti diximus, Iudaica. Periculum enim eſt, ne a miniſtris temulentis ſacra tractentur tumultuarie, et cultus diuinus profanus reddatur, atque deiectus. Crediderisne, hominem ebrioſum ad orationes ſacras declamandas, et Sacramenta rite adminiſtranda, eſſe aptum?

p) Lege ſupra dicta.

q) Decet Eccleſiae miniſtrum, doctrinaeque fidei eſſe peritiſſimum, vt illam aliis hominibus proponere poſſit. Leg. quae *Vitringa*, in Synag. Vet. Lib. III. Cap. VI. p. 938. et *Balduinus*,

ad

§. X.

Hae leges diuinae, ex Conſtitutionibus Apoſtolicis illuſtrantur.

Expoſui hactenus et ad euictam praeſtiti fidem, diuos Apoſtolos, in vocandis Eccleſiae miniſtris, has leges Moſaicas praeteriiſſe. Etenim non formoſam corporis ſtaturam, non validum corpus, ſed animi morumque dotes potiſſimum reſpexerunt, doctrinam videlicet, vitae probitatem, et morum caſtitatem. Quam curam prouidam poſtea ciuitatis Chriſtianae proceres, in eligendis, et inaugurandis rerum divinarum praeconibus ſedulo adhibuerunt, vti dili-

ad h. l. p. 1299. obſeruant. Eadem adhortatio traditur Cap. I. v. 19.

r) Probentur prius. Examen cum his miniſtris Eccleſiae, tam ratione doctrinae, quam vitae eſſe inſtituendum docet Apoſtolus. Latet vlterius in his verbis, homines eligendos eſſe, qui longo vſu et exercitatione in rebus agendis iam ſe probos praeſtiterunt, vt ipſis ſatis tuto graue munus tradi poſſit. Leg. de hoc examine, et exploratione Epiſcoporum, et Diaconorum in prima Eccleſia *Cypriani* Epiſt. LXVII. p. m. 172. Placuit horum verborum neruum plenius tradere. Vidi enim, *Caſp. Zieglerum* hoc argumentum quidem tetigiſſe, ſed non ſatis exhauſiſſe. Leg. ipſius Lib. de Epiſcopis. Lib. IV. toto p. 1. ſeq. et de Diaconis, et Diaconiſſis Cap. XV. p. 263. ſeq.

s) De Synagoga Vetere Lib. III. Cap. IV. p. 914.

t) Opp. Philologic. Diſſert. de Decem Otioſis Synagogae. p. 328.

diligentius tradit BINGHAMVS *). Primos Eccleſiae Chriſtianae praeſules vim regularum, circa conſtituendos ſacros miniſtros, traditarum bene intellexiſſe, nec eas, ex mente legum Moſaicarum, interpretatos eſſe, iam facili opera dabo demonſtratum. Conſtitutiones, vti audiunt, Apoſtolicae, ſaeculo tertio procul dubio, ſeu ſaltem quarto adornatae, ab his Paullinis, quas recenſui, regulis, ne latum quidem recedunt vnguem, ita diſputantes **): Περι δε των Επισκοπων παρα τȣ κυριȣ ἡμων, τον ποιμενα τον καθιϛαμενον Επισκοπον ἐις τας ἐκκλησιας ἐν παση παροικια, δει ὑπαρχειν ἀνεγκλητον, ἀνεπαφον πασης ἀδικιας ἀνθρωπων. *De Epiſcopis vero ex Domino noſtro audiuimus, eum, qui paſtor et Epiſcopus in aliqua Eccleſia et paroecia ſit conſtitutus, oportere eſſe ſine crimine irreprehenſibilem, ab omni humana iniquitate liberum.* Recitantur ***) porro ipſae leges a Paullo praeſcriptae, vt ſit *pudicus, ſobrius, ornatus, conſtans, ſedatus, non vinolentus, non percuſſor, ſed modeſtus, non litigioſus, non argenti cupidus, non neophytus, ne in ſuperbiam elatus in iudicium incidat, et laqueum diaboli.* Tradunt porro hi auctores ****), quomodo exa-

*) Antiquitt. Eccleſ. Vol. I. Lib. IV. Cap. III. Sect. I. p. 143.

**) Cotelerii PP. Apoſtolic. T. I. Conſtit. Apoſtolic. Lib. II. Cap. I. p. 213.

***) l. c. Cap. II. p. 214.

****) l. c. Cap. III. p. 214. ſeq.

examen ſit inſtituendum: *Examinetur ergo, an in vitae officiis nulli culpae affinis ſit. Scriptum enim eſt, Lev. XXI. 17. ſeq. diligenter inſpicite, an ſit macula in eo, qui ad ſacerdotium eſt eligendus. Sit igitur ira vacuus, quia ſapientia dicit: ira etiam prudentes perdit. Ad haec non ſit ſordidus, ſed miſericors, et caritatis ſtudioſus. Sit quoque liberalis, viduis ac hoſpitibus beneuolus, promtus ad miniſtrandum ac ſeruiendum, infatigabilis, praui pudoris expers, denique quis ſubleuatione dignior ſit, apprime calleat.* In aprico eſt, harum Conſtitutionum conditores, leges Moſaicas, de animi caſtitate, et vitae modeſtia recte intellexiſſe, optime gnaros illarum poteſtatem in Eccleſia exſpiraſſe Chriſtiana. Perſpiciebant, hanc corporis integritatem, quae Vetere Teſtamento, maximae erat auctoritatis, ac neceſſitatis, ad ciuitatem Chriſtianam augendam, et feliciter promouendam, nihil omnino conferre, multum autem commodi eidem addere ſolidam rerum ſanctiorum notitiam, expeditam in re gerenda prudentiam, nec non vitae, et morum innocentiam. Quod vitae teſtimonium prima Eccleſia, in eligendis miniſtris, adprime rerum, teſte Gab. Albaspinaeo *), obſeruauit, eoſque, non niſi ciuium ſuffragio, et auctoritate elegit. Eam etiam Eccleſia noſtra tenet conſuetudinem, dum viri, officiis iam praeficiendi, parochianis propo-

 nun-

*) Obſeruatt. de Veter. Eccleſ. Ritib. Lib. II. Obſ. XXXIV. p. 270.

nuntur, eo inprimis fine, vt, ſi quid, quod doctrinam et vitam illorum attingat, habeant, libera moneant fronte.

§. XI.

Canones Apoſtolici hanc in rem adducuntur, et diluuntur.

Quo eo melius introſpiciamus Eccleſiae primae inter Chriſtianos faciem, et ordinem circa miniſtros ſacros iam adoptandos obſeruatum, adducendi ſunt Apoſtolorum canones, illo temporis euulgati tractu. Conſtat autem inter omnes, haec Apoſtolorum decreta, non ipſis Apoſtolis eſſe vindicanda, ſed recentius, ſaeculis tertio et quarto, congeſta, et illuſtri hoc nomine ornata, de quibus legi poſſunt Cotelerivs*), Dv Pinivs**), Tillemontivs***), Io. Dallaevs****), Spanhemivs*****), Larroqvanvs †), Thom. Ittigivs ††), Henr. Benzelivs †††), alii. Tres priores canones iam excitandi, me iudice, Clericos in vniuer-

*) PP. Apoſtolic. Vol. I. p. 195.

**) Bibliotheque Eccleſiaſt. Tom. I. p. 14.

***) Hiſtoire Eccleſiaſt. Tom. II. Part. I. Art. VII. p. 296.

****) De Pſeudepigraph. Apoſtolor. Lib. I. Cap. VII. p. 147.

*****) Op. Tom. II. Hiſtor. Eccleſiaſt. Saecul. I. p. 579.

†) Aduerſar. S. Lib. III. Cap. I. p. 416.

††) Diſſert. de Pſeudepigr. Cap. XII. §. 14.

†††) Diſputatt. Tom. I. p. 129.

vniuerſum inferioris ordinis tangunt, duo vero poſteriores Epiſcopos potiſſimum attinent. Diſpiciendi iam ſunt tres priores canones, qui ita fluunt apud HARDVINVM*): Canon XX. Ευνȣχος ει μεν εξ επηρειας ανθρωπων εγενετο τις, η εν διωγμω αφηρεθητα ανδρων, η ȣτως εφυ, και εςιν αξιος, γινεσθω. *Eunuchus ſi ex hominum quidem iniuria factus ſit, vel in perſecutione virilibus priuatus ſit, vel ſic natus eſt, et dignus eſt, fiat*, (ſcilicet Clericus). Canon XXI. Ο ακρωτηριασας εαυτον, μη γινεσθω κληρικος, αυτοφονευτης γαρ εςιν εαυτȣ, και της τȣ Θεȣ δημιȣργιας εχθρος. *Qui ſeipſum mutilauerit, non fieri debet Clericus; eſt enim ſui homicida, et Dei opificii hoſtis.* Canon XXII. Ει τις κληρικος ων, εαυτον ακροτηριασει, καθαιρεισθω. φονευτης γαρ εςιν εαυτȣ. *Si quis Clericus ſeipſum mutilauerit, deponatur; eſt enim ſui homicida.*

§. XII.

Memorati canones illuſtrantur.

Non inutilem in me ſuſcipiam operam, ſi commemoratis canonibus aliquam attulero lucem. *Primo* quidem obſeruo, his ex decretis Apoſtolicis ſtabile peti poſſe argumentum, illa recentioris eſſe aetatis, et Apoſtolorum excedere aeuum, quia perſuaſio, de continentia, et caſtitate corporis, amputandis membris ge-

*) Acta Concilior. Tom. I. p. 13. 14.

nitalibus acquirenda, in tempora demum incidit paulo recentiora. Res certa eſt, ac dubio vacua, aeuo iam Apoſtolico inſurrexiſſe homines, Platonicorum opinione tinctos, qui arctiores, ad caſtimoniam humani corporis promouendam, ipſumque corpus ſubigendum, tradebant regulas. Sed in luce poſitum eſt, illorum diſciplinam non eo temeritatis proceſſiſſe, vt verecundis corporis partibus vim inferendam eſſe ſtatuerint, praeceperintque. Eam potius, corporis culturam rectius in abſtinentia a rebus et cibis, carnis illecebras excitantibus, et vitando cum mulieribus commercio collocarunt, quod ex PLATONE, IAMBLICHO, PLOTINO, PORPHYRIO, aliiſque huius ſectae Philoſophis luculenter demonſtrauit MARS. FICINVS *). Nemo enim cum veritatis firmamento demonſtrabit, PYTHAGORAM, et PLATONEM, rigidioris diſciplinae magiſtros, eo eſſe prolapſos, vt ſtudium caſtitatis in exſecandis membris virilibus poſuerint, vt potius caſtimoniae, duriore admodum abſtinentia a ſexu ſequiore, cibiſque fortioribus, conſuluerint. Quo conſilio etiam PYTHAGORAS ſuos diſcipulos a fabarum vſu, vt caſtitati illorum et pudicitiae proſpiceret, ſapienter prouideret, reuocauit. Quam dixi, huius mandati rationem ita commemorat PORPHYRIVS **): *Fabis vero aeque ac humanis car-*

*) In Plotin. Lib. II. Enn. I. p. 9.

**) In vita Pythagorae. Cap. XLIV. p. 43. edit. Kuſteri.

carnibus abſtinendum monebat; referunt autem, eum huius legis cauſam hanc allegaſſe. Cum primum rerum principium atque origo eſſent invicem conturbata, multaque in terra confuſa inter ſe coaluiſſent, ſimulque comparuiſſent, paulatim ſingula exorta, atque diſcreta fuiſſe, cum ſimul et animalia naſcerentur, et plantae producerentur, tum ex eadem putredine, et homines extitiſſe, et fabas effloruiſſe, cuius rei manifeſta adducebat argumenta; ſi quis enim fabam arrodat, dentibuſque comminutam feruentibus ſolis radiis paululum exponat, et poſt exiguum temporis ſpatium redeat, humani cruoris odorem in ea percipiet; praeterea ſi quis eo tempore, quo fabae florem emittunt, paululum aliquid floris iam nigricantis accipiat, et in vas fictile immiſſum, et operculo obtectum humi defodiat, atque ita defoſſum dies nonaginta conſeruet, tumque effoſſum rurſum promat, atque operculum tollat, loco fabae, aut pueruli caput, aut pudendum muliebre enatum videbit. Firmo igitur, haec ſententia ſtat talo, neque PYTHAGORAM, neque PLATONEM, tam veſanum exſcindendi pudenda, morem tradidiſſe, ſed ſolo duriore corporis exercitio et abſtinentia caſtitati conſuluiſſe. Arbitror potius, his regulis, horum Philoſophorum aſſeclas deinceps eſſe abuſos, eoque proceſſiſſe, vt igne et ferro partes genitales eradicandas, et hoccе modo voluptates carnis exſtirpandas ſatis turpiter ſtatuerent. Quae falſa ſaniorum doctrinarum interpretatio, multis,

vti conſtat, aliquando accidit Philoſophis. Recte quoque monet GVIL. BEVEREGIVS *), ortam eſſe ſecundo a Chriſto nato ſaeculo haereſin VALESIORVM, qui dictum, Matth. XIX. 12. ſeq. conſpicuum, paulo preſſius, ſtrictiusque, de euellendis pudendis, ſunt interpretati, quod EPIPHANII, et AVGVSTINI confirmat teſtimoniis. Latius deinceps ſerpſerunt perſuaſiones ex Platonicorum ſcholis profluentes, quae auctoribus TATIANIS, MONTANISTIS, ENCRATITIS, EVSTATHIANIS, et aliis huius nominis hominibus creuerunt, magnamque, quam expoſuit Ill. MOSHEMIVS **) Eccleſiae Chriſtianae attraxerunt cladem, corruptelamque. Etenim, quae Apoſtolorum tempore clanculum terebantur, de abſtinentia a re vxoria, et cibaria, opiniones, tandem in maximos ſeſe effuderunt errores, quos ſtudioſius tradit THOM. ITTIGIVS ***).

§. XIII.

Commentationes in canones Apoſtolicos protrahuntur.

Munio *ſecundo* loco meam, quam foueo de hoc, quod tracto, argumento, ſententiam clariſſimis diui Paulli dictis, quibus in mores hominum,

*) Synodic. ſ. Pandect. Canon. Tom. II. p. 24.
**) Commentat. de Eccleſia Chriſti per Platonicos turbata. conf. Commentar. in Hiſtor. Chriſtian. Sec. II. §. LXI. p. 398. ſeq.
***) Hiſtor. Eccleſ. Sec. II. Cap. VII. p. 330. ſeq.

minum, ſuo aeuo obuiorum, animaduertit, ſed huius amputationis nullam prorſus facit mentionem, quam certe non neglexiſſet, ſi illud cacoethes iam dum inualuiſſet, aut Eccleſiam perturbaſſet Chriſtianam. Duo inprimis occurrunt oracula, huic imaginariae ſanctitati oppoſita, ſed commemorati turpiſſimi moris prorſus neſcia. Primum oraculum Coloſſ. II. v. 20. 21. 22. 23. ita fluit: *Quodſi vna cum Chriſto, quod ad rudimenta mundi attinet, mortui eſtis, cur tanquam in mundo viuentes, vtimini placitis? ne tetigeris, neue guſtaueris, ne attrectaueris, quorum omnium is vſus eſt, vt vſu pereant, et ad corporis expletionem pertineant, et eſt inſtitutum humanum, et doctrina hominum. Haec habent ſpeciem ſapientiae, in cultu electitio, et in humilitate, et exercitio corporis, et corpori curando ſuo detrahunt honorem.* Vtrum Gnostici, an potius Cerinthiani, et Platonici hac animaduerſione a Paullo vocentur ſub cenſuram, iam penitius non expiſcor, legi tamen merentur Beavsobrii *) in hoc oraculum commentationes oppido limatae. Nec Withbii **), et Raphelii ***) improbo interpretationes, quibus verba, μη ἅψῃ, non *attigeris*,

*) Nouv. Teſtament Tom. II. Preface ſur l'Epitre de St. Paul aux Coloſſiens §. IV. VII. ſeq. p. 296. ſeq.

**) Commentar. in Epiſtol. ad Coloſſ. Cap. II. v. 22. 23. p. 350.

***) Annotation. Philologic. in N. Teſt. ad h. l. p. 272.

de re cum mulieribus familiari; μηδε γευσῃ, non guſtaueris, de abſtinentia ab vſu vini, et carnis; μηδε θιγῃς, non attrectaueris, de immunditie a contactu rerum vetitarum orta, ſatis belle intelligunt. Id ſolummodo mihi ſumo, hoc in effato, nullam adeſſe exſectionis volam, nullumque huius deteſtandae conſuetudinis veſtigium. Progredior ad alterum locum, quem Paullus, 1 Tim. IV. v. 3. exhibet: *Prohibent iſti homines matrimonia inire, et comedere cibos, quos Deus creauit, vt illis fideles, qui veritatem cognouerunt, cum gratiarum actione fruerentur.* Non anxie, de nexu verborum κωλυοντων γαμειν, ἀπεχεσθαι βρωματων, ſollicitus ſum, quem nodum ZELTNERVS *) per Ellipſin, non inſolentem, diſſoluere tentauit; diſpicienda potius mihi eſt diui Apoſtoli ſententia. Vocabulum κωλυω, auctore STEPHANO **), varias admittit notiones, quales ſunt, prohibeo, veto, impedio, coarcto, coerceo. Ego putauerim, hoc verbum reſpondere dictioni Hebraeorum כלא, *clauſit, coarctauit, in carcerem coniecit.* Quam affinitatem vocabulorum כלא, et κωλυω, et κλειω obſeruarunt GVIL. ROBERTSONIVS ***), et EDMVND. CASTELLVS ****), Graeci

*) In Not. ad Verſionem B. Lutheri Biblic. p. 28.

**) Theſaur. Lingu. Graec. Tom. II. ad h. v. p. 528.

***) Theſaur. Lingu. S. ad h. v. p. 409.

****) Lexicon Heptaglott. T. II. ad h. v. p. 726.

Graeci quoque interpretes hoc verbum כלא plerumque per κωλυω reddiderunt, cuius rei exempla exhibet TROMMIVS *). Hacce ex ſignificatione ſequitur interpretatio, iſtos homines, ſeu Haereticos, admodum anguſtos matrimonio ponere limites, atque homines, qui ſancte et caſte viuere cupiunt, a re vxoria coarctare, ſeu amouere. Multum autem veritatis amittit SCHOETTGENII **) explicatio, qua Eſſaeos ſeu Eſſenos hac animaduerſione caſtigatos eſſe arbitratur. Nam auctoribus DRVSIO, SERARIO, et SCALIGERO, apud TRIGLANDIVM ***) res certa eſt, Eſſaeos non prorſus a matrimonio abſtinuiſſe, ſed vxoribus ad procreandam ſobolem vſos fuiſſe, reliquiſſe vero illas, ſi ille finis, ex cauſis naturalibus, minus obtineri potuerit. Multo verius MONTANISTAS, EVSTATHIANOS, alioſque Haereticos ſeligendos eſſe cum SVICERO ****) ſtatuo. Ad maximam, quantum auguror, deduxi veritatis ſpeciem, hanc exſecandi conſuetudinem, tempore Apoſtolorum nondum corrupiſſe

*) Concordant. Graec. Vol. II. p. 946.

**) In Horis Hebr. et Talmudic. ad h. l. p. 872.

***) Trihaereſ. Lib. III. p. 125. Frugalitatem, et caſtitatem excoluerunt Eſſaei, adeo quidem, vt, ſi natura vim ſobolem acquirendi denegaſſet, nullum inirent matrimonium. Falſum autem eſt, Eſſaeos coelibem prorſus ingreſſos eſſe vitam.

****) Theſaur. Eccleſiaſtic. Tom. I. ad verbum γαμος, p. 735.

piſſe Eccleſiam, ſed clancularias tantum, de abſtinentia a familiaritate mulierum, ſententias eſſe ſparſas. Creuit autem hoc deforme caſtitatis monſtrum, et ſaeculo demum ſecundo e gremio Eccleſiae iam aliquantiſper deformatae prodiit in lucem.

§. XIV.

Temperamentum horum canonum demonſtratur.

Habeo, quod *tertio* loco, circa hos canones moneam Apoſtolicos. Laudo tempeſtiuum, quod horum canonum conditores hoc in argumento obſeruarunt, diſcrimen. Bene diſtinguunt laudati Patres inter Eunuchos clericos, vel natura, vel pio conſilio ex mentis caſtitate ortos; nec minus inter Eunuchos ſua culpa, et temeraria audacia; et tandem vi et iniuria aliorum factos. Quod diſcrimen Chriſtus ſalutis noſtrae inſtaurator inter eunuchos conſtituit, adſerens: *Sunt eunuchi, qui natura, ex vtero matris, ita facti ſunt; et ſunt eunuchi, qui exſecti ſunt ab hominibus; et ſunt eunuchi, qui ſeipſos propter regnum coelorum caſtrarunt.* Matth. XIX. 12. Videntur horum canonum auctores hanc Ieſu mentem belle exhauſiſſe, eumdem, in re Eccleſiae gerenda, tenentes ordinem. Nulla enim, ſi rem rite expendas, adeſt ratio, ob quam homines vel naturali impotentia, vel partium verecundarum defectu, aborantes facultate ſacra adminiſtrandi priuen-

tur,

tur, praeſertim, ſi nulla muneris ſuſtinendi inde oriantur impedimenta. Nec noſtra Eccleſia ſacros miniſtros ad ineundum conſtringit matrimonium, ſed liberam ipſis circa hoc commercium vxorium relinquit voluntatem. Aequam igitur pronuntiant canonum Apoſtolicorum conditores ſententiam de illis, quibus natura vel membra genitalia, vel ſaltem virtutem, ad procreandam ſobolem neceſſariam, denegavit, ſtatuuntque curatius, hos viros neque a munere capeſſendo, neque illo obeundo, eſſe arcendos. Nec illos ſacra priuant prouincia, qui hominum iniuria, et violenta perſecutorum manu harum partium paſſi ſunt iacturam. Vtriuſque vero generis eunuchi, recte monentibus, Balsamone et Zonara *), non ſua ipſorum culpa et vitio, nec ſponte ſua, ſed vi ipſis turpiter illata, euirati ſunt, proinde ad munus admittendi ſacrum. Secus contra ſenſerunt Patres, de illis, qui caſtitatis opinione temere ſe priuarunt neruo, quos iuſto iudicio depellendos decreuerunt, tanquam opificii diuini in corpore humano conſpicui hoſtes, ſui corporis corruptores, nec non homicidas. Tantum omnino valuit illis, de quibus ſermo eſt, temporibus perſuaſio omnium abſurdiſſima, de caſtimonia, in amputatione membrorum, ad augendam ſocietatem humanam neceſſariorum, futiliter poſita. Res adhuc maxime incerta eſt ac dubia, vtrum prauae exſtinguantur cupi-

*) *Beueregii* Synodic. Tom. I. ad h. can. p. 15.

cupiditates hac exſectione? Ridiculum proinde eſt inſtitutum, delere procreandae ſobolis inſtrumentum, et libidinis nutrire radicem, ac fouere. Eradicare debebant iſti homunciones prauos ex animo affectus, et reprimere cupiditates, ne deſpument in libidinem. Quaſi vero homo iamiam eneruis, nec minus aetate, et libidine prorſus proſtratus atque confectus, obſeruet corporis continentiam, dum aetas, et effoetum corpus laſciuias impediunt exercendas, animus autem ſpurciſſimis immerſus cupiditatibus, veluti cinerum aceruus, malas exaeſtuat cogitationes. Placet mihi Casp. Ziegleri *) commentatio: *non excuſari poteſt, qui tale quid in corpore ſuo committit, vt maxime bonum habeat finem, ad declinandas ſcilicet carnis tentantis libidines, et ex libidinibus prouenientia peccata, tum, quod hoc remedium nullibi praeſcriptum legatur, nec neceſſarium adeo ſit ad animae ſalutem, cum non membra ipſa, ſed inhaerens in eis malitia, et voluntatis humanae praua licentia afferat homini perniciem, tum vero, quod in membra, et organa a Deo creata, adhibita hac ratione, ſaeuitia, in ipſum Deum creatorem iniurioſa et blaſphema, tum denique, quia talis exſectio non tollit id, quod tollere debet, et fine ſuo prorſus fruſtratur.* Extra controuerſiam poſitum eſt, haec remedia ad emaciandum corpus nullibi in ſcriptura ſacra eſſe demandata. Non igitur

*) Lib. de Epiſcopis. Lib. II. Cap. IV. §. IV. p. 340. ſeq.

igitur video, qua auctoritate iſti homines corporis membra deſtruere, et tamen praecepti quinti regulam, de conſeruando tuendoque corpore, obſeruare poſſint? Laudanda proinde eſt horum decretorum ſententia, qua illis, qui aliorum iniuria, maxime inviti partibus verecundis priuati ſunt, non denegatur facultas, ſacram ambiendi obeundique ſtationem. Deridendus autem eſt LVDOV. CRESOLLIVS *) homo Societati Loiclitanae addictus, qui caſtitatem hominum in Romana Eccleſia religioſorum adeo extollit, vt ſpurcos foedoſque appellet noſtrae ciuitatis miniſtros, qui contrahunt coniugium, tam maleſane differens! *Caſtimoniam in apparatu ſacro, comitemque ſanctiſſimorum ordinum, catholicae Eccleſiae vox, et decreta conſentiunt. Obmurmurant e Graecia quidam et odore ipſo voluptatis, vt frementes equi et libidinoſi ad coniugium adhinnientes, diuinae ſponſae meretriculas anteferunt, et luxuriae in coeno volutantur.* Sed ſalua res eſt. Odor caſtitatis in Romana Eccleſia, abiit in foetorem. Notae ſunt querimoniae, in concilio Tridentino, aduerſus foedos homines religioſos prolatae, quas recitat PAVL. SARPIVS **). Plena ſunt et antiquioris et recentioris hiſtoriae monumenta, quae de ſpurca illa caſtitate a Pontificibus, et reliquis hominibus voto caſtitatis adſcriptis bene, ſi

Dis

*) Myſtagogus, de Sacror. Hominum diſciplina. Lib. II. Cap. IX. p. 249.

**) Hiſtoria Concil. Trident. Lib. VIII. p. 763.

Dis placet, exculta, liberius agunt. Merentur autem legi, quae hanc in rem ſcripſit MARTIN. CHEMNITIVS *). Quae ſi perpenderent Romanenſes, certe de hac caſtimonia non amplas facerent gloriationes, proiicerentque ampullas, ſed ne quidem de hoc vitioſo commate hiſcerent.

§. XV.

Meditatio, de Clericis, vel caſu, vel morbo vitiatis, e Concilio Nicaeno I. protrahitur.

Multum lucis haecce recipiet commentatio, ſi ſolidius demonſtrauero, non defuiſſe poſtea in ciuitate Chriſtiana viros, qui membrorum genitalium extinxerunt virtutem, quorum conatui, omnium ſtultiſſimo, legibus Eccleſiaſticis impedimenta poſuerunt Conciliorum Proceres. Praeſtat hanc in rem Concilii *Nicaeni I.* canonem excitare primum **): *Si quis a medicis propter languorem ſectus eſt, aut a barbaris abſciſſus; hic in clero permaneat. Si quis autem ſeipſum ſanus abſcidit, hunc in clero conſtitutum, abſtinere conuenit, et deinceps nullum debere talium promoueri. Sicut autem hoc clare, quod de his, qui hanc rem affectant, audentque ſeipſos abſcindere, dictum ſit; ſic eos, quos aut barbari, aut domini caſtrauerunt, ſi inueniuntur alias digniſſimi, tales ad clerum ſuſcipit regula.* Satis ſobriam

*) Exam. Concil. Trident. Part. III. Seſſ. VIII. p. 486.

**) Harduini Act. Concil. Tom. I p. 323.

ſobriam de hoc argumento tulerunt Patres *Nicaeni* ſententiam. Illis, qui vel a Medicis, ob morbi difficultatem, vel a barbaris vel dominis ſuis genitali priuati ſunt parte, munus ſacrum, ſi digni aeſtimentur, non denegandum eſſe ſtatuunt. Etenim hoc facinus, non a libera ipſorum voluntate profluens, illis in vitio crimineque haud eſt ponendum. Vt omittam, partium genitalium defectum non ita eſſe comparatum, vt viro res tractanti ſacras attrahat impedimentum. Mitiorem itaque de his eunuchis clericis pronuntiant ſententiam laudati concilii Praeſules. Mutant autem ſtilum, et acrius in illos animaduertunt, qui ſani et integri violentas virilibus intulerunt manus. Recte decernunt, hos homines euiratos ad officium in Eccleſia perficiendum, illudque ſacrum, non eſſe admittendos, repellendos autem, extrudendoſque, ſi eodem iam defungantur. Suſpicantur plerique viri eruditi, quos intereſt Zieglervs *), hoc decretum e conſtitutionibus Apoſtolicis ſupra adductis eſſe ſumtum, quia maxima inter has regulas eſſet conſenſio. Ceteroquin veritatis robore non deſtituuntur, qui ſtatuunt, Valesios in oriente, potiſſimum autem in Arabia ſaeculo III. ortos, hanc legem ſanciendi dediſſe occaſionem. Hos maleſanos homines eum

*) De Epiſcopis. Lib. II. Cap. IV. §. XXIV. p. 339. *Zieglerus*, *Anton. Mornacii* ſententiam facit ſuam.

eum aluiſſe, de caſtitate corporis tenenda, et ope exſectionis acquirenda, errorem commemorat Epiphanivs *): Ἐισι παντες ἀποκοποι: *Sunt omnes caſtrati.* Praeter Avgvstinvm Valesiorvm inſtituta tradit Ioannes Damascenvs **) his vſus verbis: *Valeſii ſunt, quantum ſuſpicor, qui Barathi, quod Arabiae Philadelphienſis primarium oppidum eſt, habitant, qui accedentes ad ſe, atque hoſpites, caſtrare ſolent, ac plerique inter ipſos eunuchi ſunt et exſecti. Habent et alia quaedam erroris referta dogmata, atque in primis legem et Prophetas abnegant, quaſdamque obſcoenitates adiiciunt.* Non curioſius inquiro in Valesiorvm errores; ſatis enim eſt, in eo conuenire pleroſque hiſtoriae ſacrae conditores, e quibus nomino ven. Io. Georg. Walchivm ***), Io. Georg. Pertschivm ****), et Nat. Alexandrvm *****), hos homines non niſi caſtratos ſuam in ipſorum adoptaſſe conſuetudinem, ſocietatemque. Non autem tantopere horum lurconum demiror veſaniam, quia populis orientis haec exſectio eſt frequentiſſima. Cum autem haec ſocietas inſulſo caſtitatis ſtudio, quod

*) Opp. Tom. I. Haereſ. LVIII. p. 489.

**) Opp. Tom. II. de Haereſ. Cap. LVIII. p. 89. edit. Lequien.

***) Hiſtor. Eccleſiaſt. Sec. III. Sect. I. Cap. IV. §. XVI. p. 1214.

****) Hiſtor. Eccleſiaſt. Sec. III. Cap. IX. p. 403.

*****) Hiſtor. Eccleſiaſt. Sec. III. Cap. III. Art. II. p. 577.

quod male in corporis exſectione poſuit, ſuo ex ingenio indulſerit, facile fieri potuit, vt ad hanc prolaberetur conſuetudinem vitae innocentiam egregie prae ſe ferentem, ſed re ipſa abſonam. Longius poſtea haec vana perſuaſio graſſata eſt, vt procul dubio huic ſceleri obicem poſuerint Concilii *Nicaeni* Praeſules.

§. XVI.

Canon I. Arabicus eiuſdem Concilii Nicaeni I. adfertur, et de Clericis male ſanis et obſeſſis diſputatur.

Expoſui hactenus Concilii *Nicaeni* canonem, de clericis eunuchis differentem. Conferens autem hunc canonem, cum canonibus in Arabiam hoc ex Concilio delatis, deprehendo, illos non ſolum mirum in modum eſſe auctos, ſed aliis quoque inſtructos argumentis. Neminem fugit, decreta Concilii *Nicaeni I.* in Arabia multa recepiſſe incrementa, vt numerum Canonum Nicaenorum inſigniter ſuperent. Sed rei in hac tractatione non fert ratio, huius acceſſionis cauſas indagare penitius. Proferam potius duos adhuc canones, qui de clericis corporis vitio, vel ſua ipſorum culpa, vel morbo, vel denique aliorum iniuria laborantibus agunt, quos homines, pro diſcrimine et conditione vitiliginum vel admittendos, vel a ſacris in coetu ſanctiore tractandis remouendos ſtatuunt. Canon primus ex Arabicis, ab Abra-

hamo Ecchellenſi verſione donatis, ita eſt conſtructus *): *Nullus remaneat in clero inſanus, niſi quem inſanum reddiderunt Medici, ob morbum aliquem, qui euenit ipſi, vnde neceſſe illi fuit ſumere medicamenta, et herbas calidas ad ſanitatem recuperandam, atque inde hoc ei accidit. Is autem per nos culpa vacat, quoniam haec infirmitas curabilis eſt, cum non ſit a daemone, in eo habitante. Ille enim, in quo ſpiritus daemonis habitat, omnino deiiciendus eſt gradu ſacerdotali, et nunquam admittendus; nec etiam religionem ingrediatur, qui ſpiritu infeſtatur diabolico, ac eiuſmodi eſt infirmitati obnoxius.* Agit hoc, quod in propatulo eſt, decretum, de clericis inſania, vel etiam melancholia, adfectis. Virgula tamen Mercuriali harum regularum conditores, in exploranda huius morbi cauſa, vtuntur. Si clericus, vel aliquis rebus ſacris aliquando praeficiendus, ex morbo in inſaniam rabiemque inciderit, ſed recto poſtea rationis vſui reſtitutus ſit, illum ad ordinem ſacrum promouendum cenſent. Quam legem aequam dixeris ac iuſtam. Euenit enim quotidiano vitae vſu, vt homines ex morbi difficultate, melancholiae, vel etiam inſaniae, ad tempus fiant obnoxii, ſed, remota delirii cauſa, ad ſanae rationis redeant vſum. Ex vero igitur pronuntiant, hos clericos ſanitati redditos, et mentis denuo compotes factos, ad ſtationes, quibus antea defuncti ſunt, ſacras eſſe amandandos.
Sedulo

*) Harduin. Act. Concil. Tom. I. p. 478.

Sedulo tamen, meo iudicio, prouidendum eſt, ne hoc morbi genus, quo forte per interualla laborant clerici, nouam pariat calamitatem. Si enim haec rabies his viris per interualla adhaereat, res dubia eſt atque maxime periculoſa, quia luculenta proſtant teſtimonia, illos homines, animi non compotes, ex improuiſo funeſta ſuae inſaniae edidiſſe exempla. Poſterior autem huius canonis pars, de hominibus, quos malus occupat genius, differit. Quae demum illa ſit hominis a malo ſpiritu obſeſſio, ſiue animam, ſiue corpus tantum tangat, illa omnino ita eſt comparata, vt clericos a rebus ſacris tractandis ſeparet longius. Difficulter autem, de hoc obſeſſionis genere, fertur ſententia, quoniam, per Dei gratiam, noſtro tempore rariora ſunt horum hominum exempla, ſerioque optandum eſt, vt nulla prorſus conſpiciantur amplius. Vtinam nulla vnquam huius feralis morbi, poenaeque hominibus inflictae, extitiſſent ſpectacula.

§. XVII.

Canon II. de hominibus circumciſis et exſectis proponitur.

Diſpiciendus nunc eſt canon ſecundus ex canonum Arabicorum collectione, qui hanc tradit normam *): *Si quem ſeruorum circumciderunt domini, aut caſtrauerunt, duram exercentes in eum poteſtatem, et dominium, cum ſint inſi-*

*) Harduin. Act. Concil. l. c.

infideles, hacque de cauſa fideles ſeruos crudeli proſequuntur odio, adeoque inuitos, ac per violentiam oppreſſerunt, nihilo minus, ſi bonis ille praeditus fuerit, moribus, et operibus, ac proinde dignus cenſeatur ſacerdotio, ad id admittatur poſt adeptam a ſeruitute libertatem, et manumiſſionem. Commendanda eſt haec primae Eccleſiae cura, qua hominibus, qui caſu aut infortunio in ſeruitutem, vel Iudaeorum, vel barbararum gentium, erant deiecti, ſapienter proſpexit. Operam dandam eſſe decreuit, vt iſti miſeri homines e ſeruitute reſtituerentur in libertatem, quod ſoluto aliquo pretio, vel libera dominorum fieri ſolet voluntate. Qui redemtionis modus noſtra quoque valet aetate, vti ſatis conſtat. Latent autem, quod in aprico eſt, hocce in memorato canone duo inprimis hominum genera, quorum ratio erit habenda. Sermo enim primo inſtituitur, de hominibus a Iudaeis, vi, et iniuria *circumciſis;* tandem de *exſectis* ſeu *caſtratis* a gentilibus agitur. Actum me non acturum credo, ſi de vtroque hominum genere, de *circumciſis* nimirum, atque *exſectis,* commentationem meam attulero, quo huius decreti neruus denudetur plenius.

§. XVIII.

De Chriſtianis a Iudaeis vi circumciſis differitur.

Priora laudati canonis verba de circumciſis agunt, quo nomine Iudaei inprimis caſtigantur, qui homines Chriſtianos ſuam in ipſorum ſer-

ſeruitutem redactos circumcidere, et eoſdem nefanda, ſcelerataque opinione, ſuae religioni adiungere allaborabant. Ex eo enim tempore, quo, deuictis Iudaeis, paruae Chriſtianorum res creuerunt, nihil ex odio omnium acerbiſſimo intentatum reliquerunt Iudaei, vt vel Chriſtianos, ritu circumciſionis ſuis denuo aſſociarent partibus, vel illis ſaltem nocerent. Quantas calamitates Chriſtianis attraxerint Iudaei iam a Tito Vespasiano proſtrati, documento eſt ſeditio a Iudaeis, duce, et anteſignano Barchochba, impoſtore maximo, tempore Hadriani, Imperatoris, in Palaeſtina, clandeſtinis conſiliis excitata. Non ſatis habebant Apellae, eiurati nominis Chriſtiani hoſtes, Chriſtianos prorſus innocentes horum motuum apud Romanos incuſare auctores, ſed eoſdem inſuper omnibus exercere tormentis, conuiciiſque proſcindere non intermittebant. Ivstinvs autem Martyr *) Chriſtianorum cauſam egit viriliter, hac vſus defenſione: *Sunt illi libri etiam apud omnes vbique Iudaeos, qui eos legentes non intelligunt, ſed pro inimicis nos, et hoſtibus habentes, itidem vti vos, cum poſſunt,*

*) Opp. Apolog. II. ad *Antoninum Pium* Imperatorem. p. 72. De ipſa vero hac ſeditione in Iudaeorum perniciem iuſto iudicio diuino verſa, legi merentur *Herman. Witſius* in Hiſtor. vrbis Hieroſolymitan. Miſcell. S. Tom. II. Exercitat. XIII. §. X. p. 349. ſeq. et *Chriſt. Beſoldus*, in Hiſtor. Vrbis et regni Hieroſolymitani, Cap. I. p. 21. ſeq.

occidunt, et excruciant, quemadmodum vel ex eo perſuaderi poteſtis. Proxima namque Iudaico bello, Barchochbas, defectionis Iudaeorum dux et princeps ſolos Chriſtianos ad grauiora ſupplicia, niſi Chriſtum abnegarent, et maledictis inceſſerent, protrahi iuſſit. Plana ex hoc Iudaeorum in Chriſtianos odio, omnium atrociſſimo, emergit ratio, quae impulerit Concilii adducti praeſides, vt decretis publicis, Chriſtianis e ſeruitute Iudaeorum liberandis, ac commercio illorum fugiendo prouiderent. Deuenio nunc ad illud, quod primas in hac diſputatione tenet partes, argumentum, clariſſimis demonſtraturus teſtimoniis, Iudaeos eo proteruiae proceſſiſſe, vt Chriſtianis ſuam ſumma vi obtruderent carnis circumſionem, cui nefario ſceleri commemoratus canon poſuit limites.

§. XIX.

De eodem diſſeritur argumento.

Planum facturus, Iudaeos ſeruos, eoſque Chriſtianos, circumcidiſſe, et hoc ritu, iamiam antiquato proſcriptoque, eos ſacris initiaſſe, ad Concilii *Toletani III*, in Hiſpania Saeculo VI. congregati, prouoco canonem XIV, qui haec tradit *): *Suggerente Concilio, id glorioſiſſimus Dominus noſter (Rex nimirum Reccaredus) canonibus inſerendum praecipit, vt Iudaeis non liceat Chriſtianas habere uxores, vel concubinas, neque mancipia Chriſtiana comparare in vſus proprios;*

*) Harduin. Act. Concil. Tom. III. p. 481.

prios; ſed et ſi qui filii ex tali coniugio nati ſunt, aſſumendos eſſe ad baptiſmum. Nulla officia publica eos opus eſt agere, per quae eis occaſio tribuitur, poenam Chriſtianis inferre. Si vero Chriſtiani ab eis Iudaico ritu ſunt maculati, vel etiam circumciſi, non reddito pretio ad libertatem, et religionem redeant Chriſtianam. Adiungo ſtatim Concilii *Matiſconenſis I.* Saeculo VI. habiti canonem XVII, ita conſtructum *): *Illud etiam ſpecialiter ſancientes, quod ſi quis Iudaeus Chriſtianum mancipium ad errorem Iudaicum conuictus fuerit perſuaſiſſe, vt ipſo mancipio careat, et legali damnatione plectatur.* Addo Concilii *Remenſis* ſaeculo VII. celebrati canonem XI, rem hunc in modum definientem **): *Si quis Chriſtianorum neceſſitate cogente mancipia ſua Chriſtiana elegerit venum danda, non aliis, niſi tantum Chriſtianis expendat. Nam ſi Paganis aut Iudaeis vendiderit, communione priuetur, et emtio careat firmitate. Iudaei vero, ſi Chriſtiana mancipia ad Iudaiſmum vocare praeſumſerint, aut grauioribus tormentis afflixerint, ipſa mancipia fiſci ditionibus reuocentur. Qui tamen Iudaei ad nullas actiones publicas admittantur. Iudaeorum vero conuicia in Chriſtianos penitus refutanda ſunt.* Placet vlterius excitare Concilii *Aurelianenſis* IV. ſaeculo VI. coacti canonem XXX, qui haec tradit ***): *Cum prioribus canoni-*

K 5

*) Harduini Act. Concil. Tom. III. p. 453.
**) ibidem. Tom. III. p. 573.
***) ibidem. Tom. II. p. 1440.

nonibus iam fuerit definitum, vt de mancipiis Chriſtianis, quae apud Iudaeos ſunt, ſi ad Eccleſiam confugerint, et redimi ſe poſtulauerint, et Iudaeis ſeruire noluerint; taxato et oblato a fidelibus iuſto pretio, ab eorum dominio liberentur. Finem huius argumenti faciat canon, ex *Iſaaci* Epiſcopi Lingonenſis decretis deſumtus *): *Si quis Iudaeorum Chriſtianum ſeruum, vel cuiuslibet alterius ſectae, emerit et circumciderit, a Iudaei ipſius poteſtate ſublatus in libertate permaneat.* Teſtes ſunt adducti Conciliorum canones omni fide maiores, eam ſibimetipſis ſumſiſſe Iudaeos licentiam, vt, circumciſione ſeruis et mancipiis Chriſtianis violenter obtruſa, ſuam augerent religionem, et familiae Chriſtianae aegre facerent. Etenim Iudaei illo, quo hi canones euulgati ſunt, tempore, in Hiſpania, Gallia, Anglia, et aliis terrarum tractibus maiore, quam qua noſtra aetate gaudent, libertate fruebantur, et nihil non mali, quod ex hiſtoria conſtat, his in regionibus moliebantur, donec legibus publicis proſcriberentur. Depraedicanda proinde eſt primorum, ſequiorumque ſaeculorum, Chriſtianorum cura, qua his Conciliorum regulis, Chriſtianis dura inter gentiles, Iudaeoſque ſeruitute preſſis, ſapienter de redemtione proſpexerunt. Praeter enim quam, quod ipſa religio Chriſtiana in contemtum veniebat ac periculum, ipſi etiam ſerui Chriſtiani a bar-

*) Harduini Act. Concil. Tom. V. Cap. XXVII. p. 448.

barbaris populis et Iudaeis male tractabantur, et non animae ipſorum tantum, ſed caſtitati etiam corporis ſtruebantur inſidiae. Iudaei inprimis Chriſtianis hoc temerario conatu inferebant circumciſionem, quo illos deploratae ſuae ipſorum religionis facerent ſocios. Quod inauditum Iudaeorum ſcelus, ſeruis Chriſtianis illatum, his miſeris hominibus ſcrupulum iniiciebat, ſe ſacramentis Iudaeorum initiatos, vera in Chriſtum fide excidiſſe ac ſalute. Quod ipſum diſertis verbis ſcribit Paullus: *Si vos circumcidi patiamini, Chriſtus vobis nihil prodeſt.* Gal. V. 1. 2. *). Poſteriora canonis excitati verba, de mancipiis a Gentilibus exſectis agunt, nullaque amplius indigent demonſtratione. Quaeſtio vero princeps erat, vtrum iſti homines vel caſtrati, vel circumciſi, muneribus ſacris in Eccleſia ſuſtinendis eſſent praeficiendi, necne? Quam quaeſtionem memorati ſupra Concilii Praeſules ita definiunt, vt iſti homines ſiue a Iudaeis circumciſi, ſiue a Gentilibus vi oppreſſi, exſectique fuerint, ſi digni aeſtimentur, ad officia in Eccleſia Chriſtiana gerenda, ſine controuerſia promoueantur. Et recte quidem hanc pronuntiarunt ſententiam, quia etiam in iure ciuili ſtatuitur, actionem inuoluntariam et coactam homini minime nocere. Ita nimirum virgo, quae, adhibitis ad tuendam pudicitiam auxiliis neceſſariis, nihilominus vi corrumpitur, integritatem, caſtitatemque ſeruaſſe praeſumitur. Eodem plane iure, iuriſque bene-

nefi-

neſcio homo a Iudaeis violenta manu circumciſus, vel a Gentilibus pudendis priuatus, pro viro, eoque integro, habendus, nec ſacra provincia, hoc ob vitium, indignus erit cenſendus. Vt omittam harum partium verecundarum defectum ipſi in re ſacra peragenda nulla iniicere impedimenta.

*) Non dubito fore quoſdam, quibus ratio diui Paulli circa circumciſionem obſeruata anceps videri poſſit ac verſipellis. Quam enim in Epiſtola ad Galatas graui animaduerſione, et cum periculo ſalutis, improbat circumciſionem a Gentilibus admittendam, eiuſdem recipiendae aliquando auctor, ſuaſorque extiterat Timotheo. Actor. XVI. 3. Mutatus hic videtur Paullus ab illo, qui Galatis circumciſionem admittendam prorſus denegat. Ne vero huius diuini legati integritas hoc in argumento maxime dubio periclitetur, neceſſe eſt, vt haec ſcopa, quae alios offendere poſſit, iam removeatur. Summa vſus eſt Apoſtolus hoc in rei capite, inter Chriſtianos oppido controuerſo, prudentia, qua ceteros inter Apoſtolos excelluit. Quo vero neruus diſputationis eo ſolidius introſpiciatur, *primo* bene tenendum eſt, quaeſtionem de neceſſitate circumciſionis a Gentilibus ad ciuitatem Chriſtianam acceſſuris aſſumendae, in Concilio Hieroſolymitano veniſſe ſub examen. Act. XV. v. 5. ſeq. Vrgebant hoc diuinum Veteris Inſtrumenti Sacramentum Phariſaei, aliique, qui legibus Moſaicis aegre nuntium mittere volebant, ſed potius eaſdem cum doctrina Chriſtiana conciliare annitebantur. Regeſſerunt autem Petrus et Iacobus, graui prolixaque vſi oratione, hac circum-

cumciſionis lege conſcientias Gentilium non eſſe turbandas, v. 7. 8. ſeq. Res in vado eſt, circumciſionem tunc temporis tanquam rem, ad fidem et ſalutem maxime neceſſariam, hoc in Concilio eſſe proſcriptam. Paullus autem illam ipſam, tanquam ritum ex libertate Chriſtiana adhuc tolerandum eſſe cenſebat. Hacce libertate vſus, definita in Synodo Hieroſolymitana, de circumciſione a Gentilibus non abſolute, et ſimpliciter exigenda, ſententia, Timotheum, quem in ſocietatem aſſumſerat, in gratiam Iudaeorum, quos emollire volebat, circumcidendum curauit. Cum autem poſtea Iudaei neceſſitati circumciſionis paulo tenacius inſiſterent, et Titum quoque circumcidendum eſſe vrgerent, ne latum quidem vnguem illis ceſſit Paullus, neque illum hoc ritu inaugurandum ſtatuit. Gal. II. 3. 4. 5. Quam tempeſtiuam Paulli prudentiam egregie commendat *Clemens Alexandrinus*, his quidem verbis: *Ecce Timotheum praeclarus circumcidit Apoſtolus, cum vociferaretur et ſcriberet, circumciſionem manufactam nihil prodeſſe; ſed ne repente a lege auellens ad eam, quae eſt ex fide cordis, circumciſionem, adhuc reluctantes eos, qui audiebant Hebraeos, a Synagoga ſeſe cogeret diſtrahere, ſe Iudaeis accommodans, factus eſt Iudaeus, vt omnes lucrifaceret.* Stromatum Lib. VII. p. 525. Fauet *porro*, huic agendi rationi, hoc inprimis argumentum, totum cultum Leuiticum illo, quo haec concertatio inter Apoſtolos Chriſtianoſque agebatur, tempore, nondum funditus fuiſſe euerſum, extinctumque, cui tamen finis cum excidio Hieroſolymitano vltimo certiſſime imminebat. Difficile itaque erat, conſtituta hactenus republica Iudaeorum ſacra, regulas

Moſaicas

Moſaicas penitus e ciuitate Chriſtiana eliminare, et ex aduerſo veram, qualem nunc habet, Eccleſiae Chriſtianae formam reddere, ac indolem. Nec ipſe Chriſtus nouae Eccleſiae inſtaurator omnes Iudaeorum leges, eaſque diuinitus datas, vno euertit ictu, optime conſcius, euerſa Iudaeorum republica, Eccleſiam Chriſtianam formoſiſſimam recepturam eſſe faciem. *Tertiò* monendum eſt loco, extitiſſe in ciuitate Chriſtiana Haereticos, quorum tunc temporis agmen ducebant *Cerinthus* et *Ebion*, qui circumciſionem, et alios Iudaeorum ritus, praefracta defendebant fronte, eo leuitatis procedentes, vt vtramque inter Eccleſiam coniunctionem facere allaborarent. vid. *Ittigii* Hiſtor. Eccleſiaſt. Sec. I. Cap. V. p. 288. et ibid. Sect. I. Cap. V. p. 303. conf. *Baſnagii* Annal. Polit. Eccleſ. Tom. II. p. 7? et *Siricii* Ασκημα Hiſtor. Theologic. de Ebione, et Ebionitis Antiqu. et Recentiorib. Quod deperditum hominum Iudaeorum doctrinis tinctorum ſtudium poſtea acerrimas excitauit inter Chriſtianos diſputationes, quae nunc auctoritate dictatoria ab Apoſtolis erant componendae. Vbi enim res eo deuenerunt, vt iſti falſi doctores circumciſionem, tanquam Sacramentum ad ſalutem maxime neceſſarium, requirerent, et fidem in Chriſtum ex Euangelii mandatis flocci aeſtimarent, atque hocce nefario conatu doctrinae ſanctioris deprauarent indolem, illa, de circumciſione retinenda, controuerſia fortius erat decidenda, ac plenius. Danda nunc erat opera, vt haec propudioſa perſuaſio ex Chriſtianorum animis penitus euelleretur, et ipſis doctrinae Chriſtianae forma diligentius delinearetur. Nemo proinde mirabitur, diuum Apoſtolum Paullum,

§. XX.

De libere exſectis in Eccleſia Occidentali rarioribus ſermo inſtituitur.

Miſſis autem hominibus vel a Iudaeis circumciſis, vel a Gentilibus violenter exſectis ex Oriente, ad Occidentis redeo Eccleſiam, quae non magnam hominum ſua ipſorum culpa ac ſuperſtitione euiratorum habuit copiam. Videtur

lum, qui antea Timotheum circumciſionis ritu augendum ſtatuerat, nunc in tota Epiſtola ad Galatas hanc circumciſionem, cum reliquis gentis Iudaicae legibus, acrius reprehendere, docereque ſtudioſius, circumciſionem cum religionis Chriſtianae regulis ac doctrinis male coniungi, et, ea admiſſa, Chriſti meritum infirmari, et ipſam ſalutem fidemque, in ſolo Chriſti merito poſitam, prorſus amitti. Placuit, haec paulo liberius hic loci commemorare, vt eo facilius intelligatur diſputatio, de hominibus a Iudaeis circumciſis, in ſocietatem Chriſtianorum, et miniſterium ſacrum, adſciſcendis, in Conciliis ſupra adductis habita. Nullum enim eſt dubium, quin horum Conciliorum Proceres, homines, circumciſionem libere et cum opinione meriti admittentes, ac eamdem ſtrenue defendentes, ciuitate expellendos ſtatuerint Chriſtiana, ne doctrinae emendatae integritati nocerent. Iuſtam contra tulerunt ſententiam, de viris, violenta manu et iniuria a Iudaeis circumciſis, quos non tantum familiae Chriſti denuo aſſociandos, ſed muneribus quoque ſacris, ſi digni fuerint, praeficiendos eſſe, ex veritate rei, et regulis Eccleſiae, publicis decreuerunt legibus.

detur enim illa inſana perſuaſio clericos potiſſimum in oriente infeciſſe, nec ſtatim ad Occidentalem abiiſſe Eccleſiam. Etenim hoc cacoethes Eccleſiae inprimis Orientalis turbauit circulos, multoſque Chriſtianos adeo corrupit, vt ſummam caſtitatis partem in exſectione ſatis leuiter ponerent. Fuiſſe vero hos imaginarios caſtimoniae praecones inter Chriſtianos in occidente degentes paulo inſolentiores, iam demonſtrandum eſt. Colligo hoc ipſum ex Conciliorum intra Occidentis imperii ſtadia habitorum canonibus, qui rarius de hoc hominum genere agunt. Concilium ſaltem *Arelatenſe II.* *) ſaeculo V. celebratum hoc facinus in canone VII. ſua tangit acie, et Clericorum abſciſſorum ad ordinem ſacrum non admittendorum his verbis facit mentionem: *Hos, qui ſe carnali vitio repurgare neſcientes exſcindunt, ad clerum peruenire non poſſe.* Primo ſtatim oculo ex hoc canone cognoſcitur, futilem exſcindendi morem clanculum imitatos eſſe homines in Occidentali Eccleſia degentes. Serpunt enim, vt in prouerbio eſt, vitia, et in alios quoſuis proximos proſiliunt. Dabunt autem id mihi limatioris ingenii viri, hanc euirandi conſuetudinem in Occidente fuiſſe paulo rariorem, cuius rationes has eſſe autumo. *Prima* quidem eſt, quod hic ſceleratus vſus populis orientis ab antiquiſſimis temporibus fuit frequentiſſimus. Verbis profecto ad rem, ſtudioſius demon-

*) Harduin. Act. Concil. Tom. II. p. 774.

monſtrandam non opus eſt, quia clara adſunt in optimis rerum geſtarum ſcriptoribus huius moris teſtimonia. *Altera* cauſa mihi videtur poſita in horum populorum ingenio, ad rigidiorem animi corporiſque diſciplinam, in vitae cultu, exercendam valde procliui. Notum eſt, quam tenacem corporis culturam obſeruarint Orientis Philoſophi, quam poſtea ſuis inculcarunt diſcipulis. Tranſiit deinceps hoc corpus emaciandi caſtigandique ſtudium ad Chriſtianorum ſocietatem. Quamuis enim ſequioribus ſaeculis deſerbuerit exſcindendi libido, prolapſi tamen ſunt homines in alium errorem, quo vitam ſolitariam, ex odio matrimonii, ſelegerunt, vti verboſius commemorat Rvd. Hospinianvs *). Ingens inde enata eſt in Orientali Eccleſia *Aſcetarum, Encratitarum, Anachoretarumque* colluuies. Res facili opera demonſtrari poteſt crebriore horum hominum ieiunio, abſtinentia a vino, a cibis carnis illecebras promouentibus, nec non a commercio ſexus ſequioris appetendo, et vita a familiaritate cum aliis ſeparata prorſus inſtituenda. Quas vitae tolerandae regulas ſerius adoptarunt homines in Occidente religioſi, nec eas tam tenaci cura excoluerunt ac rigore. Homines contra Orientis tractus, vitae ſolitariae et rebus ſacris adſcripti, tam pertinaci vſi ſunt temperan-

*) De Origine, et Progreſſu Monachatus Lib. III. Cap. XIII. p. 83.

perantia, vt illos homicidas ſui ipſorum corporis potius, quam vitae ſuſtentandae nutritores iure appellaueris. Nolo tamen cum viris in antiquitatibus ſacris verſatis deſcendere in concertationem, et penitius indagare, vtrum hic durior vitae agendae cultus ab Eſſaeis inter Iudaeos conſpicuos, an vero a Gentilium Philoſophis, Platonicis inprimis, ſit repetendus. Satis conſtat, iam ante Platonicorum tempora, inter Iudaeos, Eſſaeos, ſeu Eſſenos auctoribus Serario, Drvsio, et Scaligero apud Triglandivm *) ſummam amaſſe frugalitatem, corporiſque continentiam. Vt praeteream, ſanctiſſimum *Ioannem*, Ieſu praeambulonem, ſimpliciſſimum habuiſſe vitae tenendae genus, quod vberius deſcripſerunt ven. Io. Christoph. Harenbergivs **), et Herm. Witsivs ***). Parum certe refert, a quibus potiſſimum hominibus primi Chriſtiani hos mores in cultu corporis obſeruandos receperint, cum res extra dubitationem eſt poſita, illos hac arctiore diſciplina exercuiſſe corpus, vt non raro ad exſectionem partium genitalium temere prolaberentur. Nullo vero eget teſtimonio, ingenium Occidentis incolarum ad tam duram vitae agendae rationem minime eſſe

*) Trihaereſ. Lib. III. Cap. X. p. 174. ſeq.

**) Otia Gandershemenſ. Obſerv. I. de cibo Ioannis Baptiſtae. p. 1. ſeq.

***) Miſcellan. S. Tom. II. Exercitat. XV. de vita Ioannis Baptiſtae. p. 508. ſeq.

eſſe propenſum, quare maxime eſt credibile, illos hunc euirationis morem, et reliqua rigidioris diſciplinae inſtituta, non tanta animi conſtantia feciſſe ſua.

§. XXI.

Eiuſdem argumenti ſiſtitur tractatio.

Quae, quam hactenus dilui, ſententia nouo munitur argumento: quia Platonicorum placita, ac Anachoretarum ſomnia, orientis potiſſimum turbarunt Eccleſiam, nec ſtatim ad Chriſtianos in occidente viuentes promanarunt. Quid? Quod iſti homines non tam auidis manibus has vitae regulas arripuerunt. Non ſatis concoxerunt homines, quotquot exſectione ſuo ipſorum corpori iniuriam intulerunt, illudque turpiter deſtruxerunt, diui Paulli doctrinam, atque corporis coercendi regulam, dum de ſemet ipſo ſcribit: ἀλλ᾽ ὑπωπιαζω μȣ το σωμα, και δȣλαγωγω κ. τ. λ. *Sed contundo corpus meum, et ſubigo,* 1 Cor. IX. 27. Quae ſanior corpus caſtius efformandi, et carnis ſalacis aeſtuantiſque illecebras delendi, diſciplina omnem vim manumque reſpuit armatam. Modus enim in rebus, religionem adprime rerum attingentibus, eſt tenendus, ne vltra, citraque peccetur, et rectum minus bene conſiſtat. Vera, homine Chriſtiano digna, Deoque grata corporis caſtitas non mediis illicitis, humanoque corpori nociuis, ſed frugalitate, temperantia, et imperio in affectus, qui

L 2 ſubigen-

ſubigendi ſunt, acquiritur. Tantum enim intereſt homines inter et bruta, quae natura prona, et ventri finxit obedientia. Mortales ex aduerſo ita formauit Deus, vt imperium in corpus affectuſque teneant naturales. Praeclare omnino dixit CICERO *). *Regium eſt ita viuere, vt non modo homini nemini, ſed ne cupiditati vlli, inſeruias.* In laude proinde ponenda eſt Veterum Philoſophorum cura, in emendatione corporis affectuumque ſita, improbanda vero illa Chriſtianorum diſciplina, quae vi et armis vtitur. Inculcarunt noſtri confeſſores **), in Auguſtana Confeſſione, animi corporiſque continentiam, ſed non irritis, temerariiſque votis, et perſuaſionibus innixam. Eliminanda itaque eſt illorum veſania, qua corporis caſtitati, nocuerunt potius, quam conſuluerunt, ad extremum aliquod ſatis male prolabentes.

§. XXII.

De Origene huius exſectionis teſte diſſeritur.

Quod hactenus in vniuerſum, de exſectione hominum, potiſſimum autem clericorum, propoſui argumentum, iam nonnullis confirmandum eſt exemplis. Nemo neſcit *Origenem*, Platonicorum inſtitutis deditum, ſe nimia prae animi ſanctitate, vel aliis ex rationibus, exſecuiſſe. Nolo iam inquirere ſtudioſius in cauſas, quibus

*) Oratio pro Sylla.
**) Art. VI. de Abuſibus.

bus *Origenes* commotus tam violento exſectionis medio vſus ſit. Optime gnarus ſum, nonnullos auctores arbitrari, hanc rem ab *Origene* eo conſilio eſſe ſuſceptam, vt omnem turpem, cum ſexu ſequiore, quocum crebrius, ob inſtitutiones priuatas, verſabatur, euitaret ſuſpicionem, famae ſuae et innocentiae noxiam. Alii aliam ſuggerunt rationem, vt nimirum iter in Arabiam, et ad barbaras foediſſimaſque gentes, inſtituens, impuros ſpurcorum hominum eo melius auerteret inſultus. Vtramque ſententiam, veritatis ſpecie non deſtitutam iam non penitius inueſtigandam, ſed in medio relinquendam eſſe ſtatuo. A vero non abhorret ea ſententia, qua Origenes mandata Chriſti, et Paulli, de ſanctitate corporis tenenda, non ſatis bene concoxit, quam adoptat Hospinianvs *). Quae ratio ex ipſius confeſſione poſtea adducenda maximam recipit veritatis ſpeciem. Hocce vero conſilio, ſatis temerario, maximas, vti narrat Evsebivs **), inter Epiſcopos, Alexandrinum, Caeſarienſem, et Hieroſolymitanum, qui poſterior *Origenem* ad dignitatem Presbyteri promouerat, excitauit turbas, quas a Demetrio Epiſcopo Alexandrino inprimis motas pluribus verbis et commentationibus lectione digniſſimis perſequitur ill. Moshemivs

*) De Origine, et Progreſſu Monach. Lib. II. in claſſe I. Monachor. Cap. I. p. 32.

**) Hiſtor. Eccleſiaſtic. Lib. VII. Cap. VIII. pag. 208.

mivs *). Res in luce verſatur, diſputationem, de Origenis exſectione, non omni ſuſpicione diſſidiorum clandeſtinorum et inuidiae domeſticae eſſe vacuam, vti laudatiſſimus Moshemivs expoſuit plenius. Interim neminem eſſe putauerim, qui hoc *Origenis* inſtitutum albo ſignauerit lapillo, ſuoque adprobauerit calculo: quia illud peſſimi procul dubio fuit exempli. Etenim *Origenes* ſua aetate, eruditionis, pietatis ac prudentiae laude inſigniter inclareſcebat, quare verendum erat, ne alii quoque homines huius viri imitarentur conſuetudinem, atque eumdem in errorem turpiter ruerent. Porro Eccleſiae inde attrahebatur vitiligo, quia memoratus Pater, Presbyteri dignitate erat auctus. Nullum proſtat teſtimonium, hunc ſtultiſſimum morem, a prima Eccleſia et Conciliis eſſe adprobatum, inde ciuitati ſanctiori non levidenſem conciliabat criminationem. Quo igitur demum oculo hanc ſpectes agendi rationem omnium vaniſſimam, illa in Eccleſiae vergebat perniciem. Alii quippe, de inſtitutis Iudaeorum in ciuitatem Chriſtianam denuo adoptatis; alii vero de hoc turpi Gentilium more, homine Chriſtiano plane indigno, proferre poterant querimonias. Nihil proinde agunt, lateremque lauant, qui cauſam *Origenis* in ſemet ipſos ſuſcipiunt defendendam. Probe ceteroquin noui, complures rerum Hiſtoricarum interpretes

*) Commentar. in Hiſtor. Chriſtian. Sec. III. §. XXX. p. 670. ſeq.

tes dubiam, de Eunuchiſmo *Origenis*, alere ſententiam; ſed teſtes ſunt, praeter EVSEBIVM EPIPHANIVS *), HIERONYMVS **), omni exceptione maiores. Diſputatur ſaltem de modo, quo vſus eſt *Origenes*, quem SAM. BASNAGIVS ***) violentum, et ferro confectum, Petrus autem DAN. HVETIVS ****) medicamento, quo expunxit gignendi facultatem, perpetratum ſtatuunt: Vtraque huius caſtrationis ratio crimine haud vacat. Laudat PETR. HALLOIXIVS *****) hoc facinus, quod cum veritatis firmamento improbat BARONIVS †). Idem ſcelus aliquo modo excuſat extenuatque Natalis ALEXANDER ††), arbitraturque, hanc *Origenis* exſectionem canonibus Eccleſiaſticis, eo tempore non conſcriptis, minime gentium fuiſſe aduerſam. Sed hac defenſione mihi, quod opto, ac volo, concedit ALEXANDER, illos, quos excitaui, canones Apoſtolicos, recentioris omnino eſſe aetatis, quam tamen rem plerique inficiantur Romanenſes, quo horum canonum tueantur auctoritatem. Porro cauſam ſuam male defendit, ieiuna ſatis ratione vſus,

*) Opp. Tom. I. Haereſ. LXIV. p. 527.
**) Opp. Tom. I. Epiſtol. LXV. p. 130.
***) Annal. Polit. Eccleſiaſt. Tom. II. p. 227.
****) In Origenianis Lib. I. Cap. I. p. 13. ſeq.
*****) In Origene defenſo. Lib. IV. Quaeſt. 9.
†) Annal. Eccleſiaſt. ad an. Chriſti CCXXX. p. 378.
††) Hiſtor. Eccleſiaſt. Sec. III. Diſſertat. XV. p. 698.

hanc membri priuationem laudatis canonibus demum eſſe vetitam. Quaſi vero res ſua natura illicita, ac turpis, nec non in mandato divino quinto definita, non pluris eſſet auctoritatis, quam omnes Eccleſiae regulae. Quamuis autem *Origenes* quibuſdam motus ratiunculis admodum frigidis corpus ſuum corruperit; attamen poſtea, meliora edoctus, hanc perſuaſionem improbauit adſerens *): *Nos, qui Chriſtum, Dei verbum ſecundum carnem, et ſecundum literam olim nouimus, nunc autem non amplius noſcentes, eorum interpretationem non probamus, qui coeleſtis regni obtinendi cauſa caſtrationem ſibi intulerunt.* Quae *Origenis* ad ſaniorem ſententiam redeuntis confeſſio commendanda eſt. Statuo vero rationibus in vtramque partem expenſis, hos canones, quos ſupra adduxi, de Eunuchis clericis, promulgatos, his demum, de quibus ſermo eſt, ſaeculis eſſe compoſitos. Non enim credibile eſt, prius leges, de vitando Eunuchiſmo violento, eſſe ſancitas, quam iſti homines ad hanc temerariam prolaberentur opinionem.

§. XXIII.

De Leontii Antiocheni caſtratione diſputatur.

Nouum e numero clericorum *Origeni* adiungo exſectionis teſtem, ac ſodalem, *Leontium*

*) Opp. Tom. XV. in Commentar. in Matth. p. 369. conf. *Io. Henr. Maii* Diſſertat. de Eunuchiſmo Origenis Adamantii.

tium nimirum, de quo haec commemorat S. Athanasius *): *Leontius accuſatus, de commercio cuiuſdam iuuenculae mulieris, Euſtoliae nomine, iuſſuſque proinde, vt ab eius contubernio abſtineret, ſeipſum caſtrandum dedit, quo ita libere eius conſortio vti poſſet; neque tamen vel ita ſuſpicionem abluere potuit, etiamſi Conſtantius Haereticus edicto voluerit Epiſcopum eum appellari, vt etiam, cum Presbyter eſſet, deponi maluerit.* Adferendum eſt aliud Athanasii teſtimonium, de Leontii exſectione, his verbis traditum **): *Λεοντιος, ὁ ἀποκοπος, ὃν ὀυδε ὡς λαϊκον κοινωνειν ἐχρην, διοτι ἑαυτον ἀπεκοψε. κ. τ. λ. Leontius caſtratus, qui ne laici quidem nomine ad communionem admittendus erat, quod ſeſe ipſe caſtraſſet, vt ſibi deinceps copia foret dormiendi cum quandam Euſtolia, quae cum mulier eius opera eſſet, virgo tamen vocabatur.* Incidit, quod ex Athanasio planum eſt, hoc *Leontii* facinus in tempora Constantii, Imperatoris, Arianis deperdite dediti, quare meo iudicio pateſcit, eos egregie falli, qui decretum Concilii *Nicaeni I.* huic *Leontio* oppoſitum eſſe arbitrantur. Memoria vero dignum eſt, hunc virum poſtea nihilo minus ad Epiſcopatum Antiochenum, indultu Constantii adſpi-

L 5

*) In Apologia, de fuga ſua, ad Conſtantium Imperatorem. Opp. Tom. I. p. 718. edit. Pariſ.

**) Hiſtoria Arianorum ad Monachos. num. XXVIII.

ſpiraſſe. Iuvat Theodoreti *) Cyrenſis excitare commemorationem: *Antiochiae vero, poſt Stephanum Flaccilli ſucceſſorem, qui Eccleſia eiectus fuerat, Leontius Epiſcopatum obtinuit, contra Nicaenos canones honorem ſortitus. Erat enim eunuchus, ſuaque manu ſeipſum abſciderat. Cauſam autem huius facinoris refert beatus Athanaſius. Nam cum Leontius, inquit, male audiret, ob conſuetudinem cum puella quadam, nomine Euſtolia, et cum ea ſimul degere prohibitus eſſet, illius cauſa ſeipſum exſecuit, vt deinceps libere cum illa verſari poſſet. Et ſuſpicionem quidem nequaquam aboleuit: immo vero hac de cauſa, cum Presbyter eſſet, gradu motus eſt.* Hacce conſperſus labe nihilo minus ad dignitatem Epiſcopi Antiocheni euectus eſt *Leontius*, vir Arianorum partibus addictus, cuius mores, praeter laudatos viros, diligentius commemorat Bollandvs **). Fuit hic *Leontius* in ordine Epiſcoporum Antiochenorum triceſimus, ſedique, cui praefuit, ob Arianae haereſeos ſtudium, plus nocuit, quam profuit. Inualuit his, de quibus ago, ſaeculis vitioſa miniſtrorum Eccleſiae cum mulierculis, quae *Agapatae*, et *Syniſactae*, ſeu mulieres ſubintroductae dicuntur, familiaritas. Alii quippe Clerici

*) Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib. II. Cap. XXIV. p. 105. edit. Cantabrigae.

**) Acta Sanctor. Tom. III. in Hiſtor. Chronologic. Patriarchar. Antiochen. p. 360. edit. Venet.

rici ſequuti ſunt *Leontii* inſtitutum, ſeque ipſos virilibus priuarunt, vt eo liberius cum virginibus, quas in ſocietatem elegerant, agere poſſent. Alii, contra, exſectionem verentes, ſe illicito virginum mulierumque commercio adeo adiunxerunt, vt nefandae libidinis vix ac ne vix quidem effugerent ſuſpicionem. Quo nomine, auctore Ivst. Fontanino *), male audiunt et Rvfinvs, et Hieronymvs, qui hac liberiore cum mulieribus conuerſatione, non leuem ſibimet ipſis attraxerunt maculam. Aculeata quoque oratione hoc foedum caſtitatis genus perſtrinxit S. Chrysostomvs **). Praeſtat excitare Cyprianvm ***), hac de conſuetudine ita differentem: *Poſtulas, vt tibi reſcribamus, quid nobis de iis virginibus videatur, quae, quum ſemel ſtatum ſuum continenter et firmiter tenere decreuerint, detectae ſint poſtea, in eodem lecto pariter manſiſſe cum maſculis, ex quibus vnum diaconum eſſe dicis, plane eaſdem, quae ſe cum viris dormiſſe, confeſſae ſunt, aſſeuerare ſe integras eſſe.* Poſuit autem poſtea huic deſuetudini obicem Concilii *Nicaeni* canon tertius ****): *Interdixit per omnia magna ſynodus, non Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui*

*) Hiſtor. Aquileienſ. Liter. Lib. IV. Cap. I. p. 159.
**) Opp. Tom I. p. 228.
***) Opp. in Epiſtol. IV. ad Pomponium. p. 7. edit. Oxon.
****) Harduini Act. Concil. Tom. I. p. 323.

alicui omnino, qui in clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem, niſi forte aut matrem, aut ſororem, aut amitam, vel eas tantum perſonas, quae ſuſpicionem effugiunt. Diluerunt hanc turpem cum mulierculis viuendi, dormiendique, ſalua tamen, vt ſomniarunt iſti lurcones, caſtitate, conſuetudinem, Lvd. Ant. Mvratorivs *), et Saligivs **). Omnem autem pudórem depoſuit Pavlvs Samosatenvs, qui auctore Evsebio ***) ampliſſimam aluit mulierculaium copiam, ita, vt his ſatellitibus circumcinctus in conſpectum prodire non erubuerit. Nolo vero in hanc propudioſam conſuetudinem excurrere liberius, quia haec tractatio ab inſtituto meo aliquantiſper eſt remota. Sufficere poſſunt haec, quae paucis lineis de voluntaria diſputaui exſectione, ad demonſtrandam quorundam clericorum temeritatem, qua ſe, caſtitatis opinione inductos, neruo priuarunt, et tamen cum mulierculis rem habuerunt, quo nomine iuſto iudicio Eccleſiae ſuſtinuerunt cenſuram.

§. XXIV.

*) Diſquiſitio, de Syniſactis et Agapetis, p. 218. ſeq.

**) Lib. de Diptychis Vet. Cap. XV. pag. 302. conf. Röhrenſei Diſſertat. de Mulieribus Clericorum συνεισακτοις.

***) Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib. VII. Cap. XXX. p. 114. ſeq.

§. XXIV.

Argumentum de Clericis, caſu, morbo, et voluntate vitiatis vberius diluitur.

Satis hactenus, quantum inſtituti poſtulauit ratio, diſputatum eſt de futili Clericorum ſeipſos exſecantium more, primam Eccleſiam ſatis infeliciter perturbante. Conſideranda nunc ſunt alia corporis vitia in miniſtris ſacris obuia, ſiue caſu, ſiue iniuria hoſtium, ſiue denique ſponte turpiter contracta. Trahit enim hoc ipſum rei caput meam meditationem ad intimiorem huius argumenti explicationem, adhuc inſtituendam. Tria vero momenta rite ſunt expendenda, quorum *primum* illos attinet, qui caſu, aut opere aliquo, amiſerunt corporis partem; *alterum* tangit illos, qui hoſtium immanitate, et violenta manu, ſunt exſecti, vel aliis tantum corporis partibus, ad res agendas neceſſariis, priuati; *tertium* ad illos ſpectat, qui, conſilio et libera voluntate, ſe nonnullis corporis partibus priuarunt. Noſtra aetate, admodum cultiore, non facile metuendum eſt, vt homines liberalioribus, quin et ſanctioribus, diſciplinis emancipati, vel ſeipſos exſecent, vel ab impiis hoſtibus orbentur pudendis, licet caſtrati, ob muſicam vocalem eo melius tractandam, non inſolentes ſint. Sed horum inſtitutum, ſatis ineptum, ad noſtram non facit diſputationem. Scitu ceteroquin neceſſarium eſt atque vtile, quae fuerit primae Eccleſiae circa homines corpore

pore vitiatos ratio. Bene multas Patrum ſententias, et Conciliorum canones, hanc in rem adfert LVDOV. THOMASSINVS*), quibus docetur, Eccleſiae Conciliorumque Praeſules, illos, qui caſu, aut opere aliquo manum, vel digitum, vel alias corporis amiſerunt partes, ab officio non eſſe remouendos ſtatuiſſe. *Primo* igitur oculos ad hanc hominum vitioſorum claſſem dirigemus. Non improbanda eſt horum Patrum lenitas, ſi vtroſque ſpectes, vitio corporis laborantes. Etenim non raro vſu euenit, vt aliquis, optimis alias praeditus animi dotibus, caſu, vel negotio faciundo, vel denique morbo aliqua laedatur parte, ad res ſuas in officio tractandas minus neceſſaria, qui ſi repelleretur a munere, certe Eccleſia, docto, bono, et honeſto deſtitueretur miniſtro.

§. XXV.

Defectum corporis rite diſpiciendum eſſe Canonum Apoſtolicorum auctoritate demonſtratur.

Circumſpecte agendum eſſe, circa Miniſtros Eccleſiae, vitio corporis laborantes, iam exponendum eſt. Explorandum nimirum erat, hoc in caſu, vtrum corporis defectus, Eccleſiae miniſtrum muneri praeficiendum, redderet prorſus

*) Vet. et Nov. Diſcipl. Eccleſ. Tom. II. Part. II. Lib. I. Cap. LXXVIII. de Irregularitate corpore vitiatorum; et mutilorum. §. V. VI. VII. p. 508. ſeq.

ſus ineptum, nec ne? Si prius vitium haberet locum, illi viro, ceteroquin docto, et honeſto ſacra prouincia erat deneganda. Si vero ille defectus partes officii rite ſubeundas minime impediret, cura rerum ſacrarum ipſi erat concredenda. Noua definienda eſt ſententia, ſi acciderit, vt miniſter Eccleſiae, qui officio ſacro iam defungitur, alicuius partis iacturam patiatur, quae negotiis ſacris expediundis officit, ille omnino a ſacris faciendis, non tamen ordine ſacro, erat remouendus, ſed honeſte alendus, neutiquam autem ad dignius munus promouendus. Operae pretium eſt, canones Apoſtolicos *) hunc in finem ſancitos adferre. Canon LXXVI. ita fluit: *Ει τις ἀναπηρος, ἡ τον ὀφθαλμον, η το σκελος πεπληγμενος, ἀξιος δε ἐστιν, ἐπισκοπος γινεσθω. Ὀυ γαρ λωβη σωματος ἀυτον μιαινει, ἀλλα ψυχης μολυσμος: Si quis vel oculo orbatus, vel femore oblaeſus, epiſcopatu autem dignus ſit, fiat. Non enim corporis damnum eum polluit, ſed animae inquinatio.* Recitandus adhuc eſt canon LXXVII, ita conſtructus: *Κωφος δε ὠν, και τυφλος, μη γινεσθω ἐπισκοπος. ὀυχ ὡς βεβλαμμενος, ἀλλ᾽ ἱνα μη τα ἐκκλησιαστικα παρεμποδιζοιτο: Qui autem eſt ſurdus, et coecus, ne ſit Epiſcopus; non vt pollutus, ſed ne Eccleſiaſtica impediantur.*

§. XXVI.

*) Harduini Act. Concilior. Tom. I. p. 27. ſeq.

§. XXVI.

Commemorati Canones explicantur.

Tangunt canones iam in medium allati potiſſimum Epiſcopos, vitio corporis affectos. Ponunt autem iſti canones caſum, quo homo ſine ſua culpa, ſed morbo, aut alio caſu fortuito fatalique, eſſet laeſus, neutiquam autem motu voluntario has deſtruxiſſet partes. Recte definiunt iſti canones, non defectum partis cuiuſdam in corpore polluere Epiſcopum, ſed animi maculam. Porro obſeruant, corporis vitium curatius eſſe expendendum, vtrum praeſulem Eccleſiae praeficiendum prorſus reddat ineptum, an vero minus? Ita nimirum homo vno oculo deſtitutus, vel femore laeſus, vel altero pede claudicans nihilo minus idoneus habetur ad ſacra in officio tractanda. Satis accurate Balsamon *) in haec Apoſtolorum, vti dicuntur, decreta commentatur: *Antiqua, inquit,* quidem lege *vllus ulla corporis parte mutilatus, ad ſacerdotium promouebatur, imo potius, ſi poſt ſacerdotium ex morbo vel caſu aliquo laeſus, ac mutilatus eſſet, a ſacrificio ceſſabat. Diuini autem Apoſtoli, eos quidem, qui, quo minus, quae ſunt ſacerdotii, exequantur, impediti ſunt, non admitti ſtatuerunt; eos autem, qui poſſunt, etiamſi vno oculo careant, et claudi ſint, qui eligantur, dignos haberi iuſſere. Ani-*

*) Synodici ſ. Pandectas. Can. Tom. II. in Annotat. ad h. can. p. 37. apud Beueregium.

Animam enim puram et integram volunt omnes habere, non autem corpus. Num quid autem, ſi poſt ſacerdotium fiat aliquis ſurdus et coecus, vel alio aliquo corporis vitio affectus, et non poteſt ſacerdotium exſequi, ſacerdotio mouebitur iuxta veterem legem? Solutio. Ne quaquam. Eſt enim a commiſeratione disiunctum, et a recto Apoſtolico iudicio alienum, vt, qui miſericordia potius dignus ſit, propter id, quod ei accidit, indignus iudicetur. Ac multi quidem antiſtites, et ſacerdotes, et diaconi excoecati, et alioqui in ſummam imbecillitatem adducti, et qui nec ſacerdotale quidpiam agere poterant, ad eorum vſque vitae finem non moti ſunt. Etiam et lex dicit, in Lib. VIII. Tit. I. Cap. 1. Them. IV. Excoecatus etiam iudex eſſe poteſt, et ſenatu non mouebitur, nouum autem magiſtratum non ſuſcipit, ſed quem ante morbum habebat, habere perſeueret. Nulla mihi eſt dubitatio, quin hanc canonum Apoſtolicorum normam iuſtam pronuntiem ac limatam. Recte in priore canone definitur, virum de re ſacra optime meritum, ob vnius oculi iacturam, vel alius cuiuſdam partis laeſionem, a dignitate Epiſcopi capeſſenda non eſſe repellendum. *Primo* enim expendendum eſt, hos corporis defectus non ita eſſe comparatos, vt virum illis affectum rebus in Eccleſia gubernandis prorſus imparem reddant. *Secundo* tenendum eſt, hoc, quo iſti canones euulgati ſunt, tempore, munera Epiſcoporum,

ab officiis Presbyterorum ac diaconorum, fuiſſe maxime diſtincta. Etenim operis difficilioribus, atque virium robur poſtulantibus, memorati defungebantur Presbyteri ac diaconi, quorſum inprimis ſpectat ſacrae lotionis et ſacrae Euchariſtiae adminiſtratio. Epiſcopi contra publicam ex ſuggeſtu ſacro exercebant inſtitutionem, nec non confirmationem, et miniſtrorum inaugurationem. Quibus negotiis perficiendis Epiſcopus monoculus, aut ſemore laeſus, omnino fungi poterat. *Tertio* tandem loco moneo, in Epiſcopo tunc temporis eligendo, conſtituendoque, maxime reſpiciendas fuiſſe huius viri animi dotes, ſolidiorem nimirum rerum diuiniorum notitiam, longam et vſu exactam rerum experientiam, prudentiam denique diuinam in dubiis caſibus adhibendam, vt ſaluti Eccleſiae bene conſulat, ne forte ignorantia, negligentia, et imprudentia eidem noceat. Quae prudentia illis temporibus admodum turbulentis in laude erat ponenda. Res enim haud difficilis eſt, tranquillo adhuc mari gubernare nauem; ſed, exorta ſaeua tempeſtate, moderari nauem, illamque procellis eripere, conſeruareque integram, hoc opus, hic labor eſt. In altero canone, de viro prorſus coeco aut ſurdo, agitur, eidemque munus Epiſcopi iuſta lege denegatur.

§. XXVII.

§. XXVII.

Horum canonum ſententia vberius diluitur.

Quo haec Balsamonis commentatio lucu-lentior reddatur, placet Gvil. Beveregii *) addere obſeruationem, qua commemorat quae-ſtionem, in hac Balsamonis diſputatione diſ-cuſſam, a Marco Alexandrino, Theodoro Balsamoni hunc in modum eſſe propoſitam: *An mancus aut monoculus habendus ſit gradu ſa-cerdotali dignus? Aut, qui poſt ſacerdotium mu-tilatus eſt, permittendus poſt vitium ſacra face-re, annon? Reſpondet Balſamon ad hanc quae-ſtionem: Quicunque morborum aliquorum vitio prohibiti fuerint, ſacerdotalium iura exequi, or-dinatione digni non habentur; Qui autem poſt or-dinationem ſic male effecti ſacra facere morbo non impediuntur, et ſic etiam, imbecilli conſtituti valetudine, ſacra libere celebrabunt. Nam Dei praeconibus placuit, neminem a ſacrorum cele-bratione, propter corporis mutilationem, pro-hiberi. Quodſi morbi officio ſacerdotis ſint impedimento, illud exercere deſinet aegrotus, a dignitate autem non alienabitur, quia potius miſerandus erit, et priore quidem honore fruetur, quin et, quae ad vitam ſuſtentandam ſufficiunt, habebit.* Meo, ſi quid valeat, iudicio tota di-ſputatio ad triplicem redit quaeſtionem. *Prima* eſt, vtrum lex Leuitica ſeu caeremonialis, de

M 2 ſacer-

*) Tom. II. Pandectar. Can. in Annotation. in Can. Apoſtolic. p. 37.

ſacerdotibus vitiatis promulgata, Noui Teſtamenti aetate adhuc locum habeat? Haecce quaeſtio, ex iis, quae in primis huius ſectionis dixi lineis, argumentis facile definitur. Indicaui enim, rigorem harum legum Moſaicarum, circa miniſtros Eccleſiae Noui Foederis, maximam qua partem exſpiraſſe. *Secunda* quaeſtio eſt, vtrum vir ad munus ſacrum prouehendus, ſed iamiam graui corporis vitio, quod res ſacras peragendas prorſus impedit, ſit eligendus, nec ne? Infirmatur cum veritatis firmamento eius electio, quia pro mortuo eſt habendus, nec aptus, et dignus, cui ob corporis infirmitatem, eamque difficillimam, tam ardua tradi poſſit prouincia. Tune credideris, Epiſcopum ſeu alium Eccleſiae miniſtrum, coecum, ſurdum, mutum, aut paralyſi totum corruptum ſacra peragere poſſe officia? Ego non crediderim. Satius igitur eſt, his hominibus alias neque indoctis, neque inhoneſtis, de alia vitae conditione prouidere, ne res ſacra patiatur detrimentum. *Tertia* quaeſtio redit ad Epiſcopos, vel alios miniſtros ſacros, qui, in officiis ſacris iam conſtituti, corporis patiuntur defectus, et ad ſuſtinendas officii partes minus idonei redduntur. Quorum hominum conditio miſericordia aeſtimatur digna. Etenim iſti non quidem ſua dignitate, et emolumentis, ſeu neceſſariis vitae ſubſidiis priuandi, et veluti de ponte deiiciendi, attamen non ad illuſtrius munus promouendi ſunt. Proſpiciendum eſt vlterius, vt illo-

illorum vices alii validi adhuc et ſani in ſe ſuſcipiant rerum in Eccleſia gerendarum praefecti, ne ſacra res veniat in diſcrimen, periculumque. Praeſtat explicationis loco adducere ZONARAM*) horum canonum interpretem, ita diſputantem: *Quodſi quis vno forte eſt oculo, vel ſtrabos habet oculos, aut claudus eſt, aut aliam quam naturae imperfectionem habet, ad Epiſcopale munus obeundum ſibi non obſtantem, dignus vero iudicatur Epiſcopatu, non prohibetur ordinari. Si vero quis ambobus fuerit orbatus oculis, vel auribus obſurduerit, aut aliam quam mutilationem patitur, per quam ſit prohibitus Epiſcopale munus implere, ad Epiſcopatum non promouebitur. Qui enim nihil videt, qui re nihil audit, aut dextram manum fortaſſis habet, qua nihil agere poſſit, quomodo ſacra peragere, ſanctaue manibus tractare queat, et aliis ea tradere, vel aliquid Epiſcopale miniſterium exercere?* Actum agerem, ſi tam planam ac ſobriam ZONARAE ſententiam amplioribus augere vellem commentationibus, quare calamum ſepono.

§. XXVIII.

De Clericis, vi et iniuria corruptis, agitur.

Prolabitur nunc meditatio ad *ſecundam* claſſem Clericorum iniuria perſecutorum, et vi ipſis turpiter illata corpore vitiatorum, quod diſcrimen

*) Beueregii Synodic. Tom. I. p. 51.

men ſupra paucis attigi verbis, iam vero illud ipſum argumentum verboſius tractandum eſſe cenſeo. Quam miſera, deplorandaque, fuerit tribus prioribus Eccleſiae Chriſtianae ſaeculis omnium quidem in vniuerſum Chriſtianorum, maxime vero miniſtrorum, et rerum ſacrarum moderatorum, conditio, inter omnes conſtat. Conquirebant infenſi Chriſti hoſtes, ſumma ſollicitudine, viros, qui religionis purioris moderabantur cultum, nullo alio fine, conſilioque, quam, vt eoſdem in vincula coniectos, equuleo, neruo, ac ferro ſubmiſſos, miſere dilaceratos, principibus, nobilioribus, neceſſariiſque corporis partibus priuatos, turpiterque deformatos, indignos redderent, quibus munera in coetu ſanctiore committerentur ſacra. Prolixam deprehendo hoc de argumento diſputationem apud Hilarivm*), in Synodo Sardicenſi ſub examen vocatam. Etenim Ariani tunc temporis, auctoritate et indulgentia Imperatorum muniti, multis Epiſcopis, et rerum ſacrarum praefectis, id detrimenti maculaeque in corpore attulerant. Diſputabatur in Synodo Sardicenſi, vtrum illi viri, iam corrupti, vitiatique, ſed libertati reſtituti, denuo ad officium in Eccleſia obeundum eſſent admittendi, nec ne? Communi conſenſione commemoratae Synodi Praeſules illos recipiendos eſſe adfirmarunt, ſi non tali corporis carerent parte, quae muneri ſuſtinendo poneret impedimentum. Vt omit-

*) Opp. in Fragment. Epiſtol. II. p. 1283. ſeq.

omittam Potamonem, et Spiridionem, teſtis quoque eſt S. Paphnvtivs, illuſtris in Aegypto Epiſcopus, ab Imperatore Maximiniano ad metalla damnatus, oculo dextro priuatus, et neſarie altero latere mutilatus, qui tanta tamen valebat auctoritate, vt auctoribus Sozomeno *), et Socrate **), ſuam poſtea gubernaret Eccleſiam, et ab indulgentiſſimo Imperatore, Constantino M., oſculis exciperetur. Leniſſimum fuiſſe ſupplicii genus, viros in familia Chriſti ſacros, vno, vel duobus priuare oculis, et neruis laedere, his verbis commemorat Evsebivs ***): *Exinde igitur oculos noſtris erui, et alterum ex cruribus. Debilitari praeceptum eſt. Huiuſmodi enim fuit illorum humanitas! Hoc leniſſimum ſupplicii genus aduerſus nos viſum.* Cauſam huius ſupplicii ab Eccleſiae doctoribus ſumti in eo ſitam eſſe ſtatuo momento, vt ciuitatem Chriſtianam ſuis exuerent praefectis, eoſdemque ad religionis cultum vlterius pertractandum redderent ineptos, indignoſque. Hancce hoſtium rebus Chriſtianis nocendi cupiditatem bene intelligentes, ſacrorum Praeſules, id conſilii ingreſſi ſunt, vt viros tormentis corruptos, ſed ad res ſacras peragendas non prorſus inutiles, inerteſque, nihilo minus in ſacri ordinis reciperent collegium, cuius rei luculenta iam producam teſtimonia.

*) Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib. I. Cap. X. p. 174.
**) Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib. I. Cap. XI. p. 17.
***) Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib. VIII. Cap. XII. p. 307.

monia. Tantum abeſt, vt ego hoc conſilium primae Eccleſiae reprehendendum, vt potius illud laudis encomio mactandum eſſe, autumem. *Primo* enim in confeſſo eſt, illa, quae hiſtoriae Eccleſiaſticae conditores commemorant vitia, non ita eſſe comparata, vt viros, de rebus ſacris bene meritos, ad munera porro ſuſtinenda, reddiderint penitus ineptos. Nam neque is, qui vno caret oculo, aut altero crure, neque ille, qui vno laeſus eſt latere, impeditur, quo minus nonnullas officii partes peragere poſſit, praeſertim, ſi Epiſcopi ſpectes prouinciam, in docendo, et gubernanda republica ſanctiore poſitam. *Secundo* in cenſum venit indigentia virorum tunc temporis ad augendam, et fortius muniendam, Eccleſiam idoneorum. Certe tribus prioribus, quibus duriſſimae durarunt Chriſtianorum vexationes, et poſterioribus, quibus Ariana haereſis totum fere occupauit orbem, ſaeculis, non adeo ampla fuit, doctorum in Eccleſia, copia, vt viri, eruditione et religionis ſtudio niteſcentes, vbiuis locorum conſpicerentur. Nec ipſi hoſtes tam leues fuerunt ac imprudentes, vt viris minoris auctoritatis, et modicae eruditionis, inferrent manus, quia parum praeſidii ab illis exſpectare poterat Eccleſia. Remouendi potius hoſtibus videbantur illuſtriores in ciuitate Chriſtiana viri, qui muri quaſi ahenei erant. Si itaque Eccleſia iſtos viros iam mutilatos atque miſere corruptos neglexiſſet, rationibus ſuis ac commodis publicis peſſi-

peſſime conſuluiſſet. Feciſſet profecto, quod hoſtes in votis habebant ac deſideriis.

§. XXIX.

De Confeſſoribus et Martyribus mutilatis, in ordinem ſacrum adoptatis, diſſeritur.

Placet, quod tracto, argumentum nouis illuſtrare commentationibus, hac in tractatione non negligendis. Laudanda eſt primae Eccleſiae ſtatorum pietas, qua non ſolum rerum ſanctiorum doctores a veritatis Chriſtianae hoſtibus male habitos, et tormentis mutilatos, deformeſque redditos iterum ſuae aſſociauit familiae, ſed illos etiam, qui violenta ſupplicia forti ſuperarunt animo, ordini ſacro adſcripſerunt. His enim horum virorum exemplis commoti, aequum duxerunt ac pium, eos ſacra augere ac ornare dignitate, conſtantiam et martyrii exemplum magis, quam amplae eruditionis reſpicientes laudem. Nobile huius conſuetudinis documentum mihi ſuggerit S. Cyprianvs, in lectoribus Avrelio, et Celerino, conſpicuum. Iſti enim viri, vi tormentorum erepti, poſt habita vniuerſi Cleri et plebis conſenſione, tunc temporis vſitata conſtituti ſunt lectores. Digna ſunt Cypriani *), quae, de Avrelio, recitentur verba: *Cyprianus Presbyteris, et Diaconis, et plebi vniuerſae, ſalutem! In ordinationibus Clericorum, fra-*

M 5 *tres*

*) Epiſtol. XXXIV. p. 47.

tres cariſſimi, ſolemus vos ante conſulere, et mores, et merita ſingulorum communi conſilio ponderare. Sed exſpectanda non ſunt teſtimonia humana, cum praecedunt diuina ſuffragia. Hunc igitur, fratres dilectiſſimi, a me, et a collegis, qui praeſentes aderant, ordinatum ſciatis. Invaluit illo temporis tractu conſuetudo, Eccleſiae miniſtros, Cleri et populi ſuffragio, modo ordinario et communi, eligendi, et pio ritu eoſdem inaugurandi; ſed confeſſoribus ac martyribus incruentis maior habebatur dignitas, ita, vt, praeterita hac ſolemni populi conſultatione, rerum ſacrarum conſtituerentur praecones, interpreteſque. Eam etiam rationem cum Celerino obſeruauit Cyprianvs *) ita differens: *Ego, et Collegae mei, qui praeſentes aderant, referimus ad vos,* Celerinvm, *fratrem noſtrum virtutibus pariter et moribus glorioſum, clero noſtro, non humana ſuffragatione, ſed diuina dignatione, coniunctum.* Praeclari et conſtantis animi hic ediderat Celerinvs exemplum. Etenim duriſſima per decem dies in ferro ſuſtinuerat tormenta. Arbitrabantur nimirum horum ſaeculorum Patres, martyribus incruentis ſeu deſignatis, ac Confeſſoribus, hanc competere dignitatem, quia Deus illos tanto honore, vt vulnera, et cicatrices, ob Chriſtianam veritatem ferrent, aeſtimauit dignos. Mediocris in his viris requirebatur doctrina. Interim ipſos non ſummos rerum in Eccleſia gerendarum

*) Epiſtol. laudat. p. 47.

darum conſtituerunt praefectos, ſed ad inferiores tantum eos amandarunt ordines. Toleranda eſt haec, nec non in laude ponenda, cum veritatis teſtibus agendi ratio, magiſque laudanda, quam auctoritas, quam martyres, ſibimet ipſis, ſuis libellis pacis vindicarunt, quibus res Chriſtianas peſſime corruperunt, vti tradunt Gabr. Albaspinaevs *), Schelstrativs **), et Saligivs ***).

§. XXX.

Hoc argumentum plenius diluitur.

Quantum olim valuit prouerbium, quo quis e rhetore conſul praedicatur; tantum roboris habuit hoc Avrelii, et Celerini, exemplum prima in Eccleſia. Inde enatum eſt dicterium; a *cataſta* ad *pulpitum aſcendit* ****). Fuit autem cataſta *****) tormenti inſtrumentum

*) Obſeruat. de Vet. Eccleſ. Ritib. Lib. II. Obſeruat. XII. p. 170. ſeq.

**) Diſſertat. II. de Eccleſ. Afric. Cap. IV. p. 87. ſeq.

***) Lib. de Diptychis Veter. Cap. X. p. 160. ſeq.

****) Cypriani Epiſtol. memorat. p. 47.

*****) De hoc triſti martyrum ſpectaculo, formaque *cataſtae*, leg. *Albaſpinaeus* in obſeruatt. laudat. in Not. ad Tertulliani librum ad Scapulam. p. 428. *Sagittarius*, de Cruciatibus Martyrum. p. 195. Diligentius hoc ſupplicii inſtrumentum deſcribit *Pitiſcus*, Lexic. Antiquitt. Tom. I. p. 380. Tradit, *cataſtam* fuiſſe diuer-

tum, ad formam machinae, cui quandoque malefici, ad rotam damnati, imponuntur, vt eorum ſupplicium in loco eminentiori ſuſtinendum publico exponatur ſpectaculo. Non obſtitit cataſta huic Avrelio, quo minus deinceps ad munus lectoris admitteretur, et ipſi haec prouincia demandaretur. Tempero mihi ab aliis exemplis iam adducendis. Confirmat, quod attuli, documentum, tam aequos et bonos fuiſſe huius rei iudices Eccleſiae Chriſtianae praefectos, vt viros ſacros his vitiis iniuria hoſtium commaculatos, ſi modo ſuo adhuc defungi potuerint officio, neutiquam a munere capeſſendo repulerint, vel ipſos dignitate ſacra exuerint. Demonſtrandum omnino erat religionis caſtioris hoſtibus omnium ferociſſimis, Chriſtianos hos fidei Confeſſores, et martyres deſignatos, magni aeſtimare, eoſque feliciter exacto, ex quo ſuperiores diceſſerant, certamine, coronis, praemiiſque, quibus olim mactabantur victores, eſſe dignos. Docebant vlterius laudati Praeſides, Eccleſiam Chriſtianam, non fortunam, non formam, non corporis integritatem, eiuſdemque praeſtantiam, ſed animi in miniſtris ſacris obſeruare indolem, fidei conſtantiam, et neceſſariam rerum diuinarum notitiam. Quodſi etiam mediocris quandoque horum

diuerſam ab equuleo. Equuleum in hanc cataſtam ſeu machinam tanquam in ſuggeſtum eſſe poſitum, quo praeſentes martyrum tormenta et ſupplicia eo melius conſpicerent.

horum miniſtrorum in ſocietatem ſanctiorem adoptatorum fuerit eruditio, multum tamen roboris ac virtutis ipſorum praeſtabat fidei conſtantia, in oculis auditorum poſita. Laudanda inſuper eſt horum Praeſulum prudentia, eo potiſſimum nomine, quod his martyribus ac Confeſſoribus, non praeiudicata opinione, maxima in coetu Chriſtianorum munera demandarunt tractanda, ſi ipſorum vires his negotiis expediundis eſſent impares, ſed eoſdem inferioris tantum ordinis ornarunt officiis, cuius generis fuerunt oſtiatores, et lectores, quorum ſtationes non amplam requirebant notitiam, et vires admodum validas. Proinde non improbandum, ſed potius laudandum, eſt hoc ſanctorum Patrum conſilium, quia iſti viri deſignati, erant veritatis Chriſtianae teſtes et calamitatum ob Chriſti nomen ſuſceptarum martyres *), et conſtantiae exempla omnium luculentiſſima. Multum emolumenti ciuitati Chriſtianae, ex horum martyrum, ſi non ad mortem, tamen ad grauiſſima tormenta deſignatorum, aſpectu et commercio accedere poterat, quia illorum exempla alios ad patientiam, et religionis conſtantiam acutiſſimis ſtimulis excitare poterant. Quor-

*) Diſcrimen inter martyres, cruentos incruentoſque, ſolidius expoſuit Pontifex *Benedictus* XIV, qui illos diſtinguit in *deſignatos*, *conſummatos*, ſeu *coronatos*, et *vindicatos*. Leg. de Seruorum Dei Beatificatione, et beatorum canoniſatione Op. Tom. I. Lib. I. Cap. II. §. 8. ſeq. fol. 22.

Quorſum ſpectat diui Paulli adhortatio: *mementote veſtrorum, qui vobis verbum Dei annuntiarunt, doctorum, quorum exitum contemplemini, et illorum ſequamini fidem.* Hebr. XIII. 7.

§. XXXI.

De Clericis libere vitiatis diſſeritur.

Conuertit ſe nunc meditatio ad *tertium,* quod ſupra indicaui, hominum genus in prima Eccleſia obuium. Noua circa finem ſaeculi tertii, et ſequentium ſaeculorum, in viros, ſacro ordini aliqua ex parte iam adſcriptos, inceſſit religio, ſeu vt verius dicam, veſania. Appellantur iſti homines *Anachoretae,* qui ſe vitae ſolitariae et meditationibus totos dederunt, ſatiuſque eſſe ſtatuerunt, ſe aliqua corporis priuare parte, et officio efficere indignos, quam eodem in Eccleſia defungi. Non ſermo eſt de Eunuchis, et hominibus partibus genitalibus naturae vitio deſtitutis, ſed de his, qui futili et ſuperſtitioſa perſuaſione aliquam reſciderant corporis partem, quo ſe munere in Eccleſia ſubeundo redderent indignos. Illuſtre huius rei teſtimonium, temerarium Ammonii *Anachoretae* mihi ſubminiſtrat conſilium, quod ex Sozomeno *), adduxiſſe refert: *Cum aliquando capiendus eſſet* Ammonivs, *vt Epiſcopus crearetur, nec rogando perſuadere potuiſſet iis, qui ad*

*) Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib. VI. Cap. XXX. p. 263. edit. Cantabrigiae.

ad ipſum capiendum venerant, ἀποτεμων το ȣς, ἀπιτε, ἐφη. λοιπον γαρ ȣδε ἑκοντα με ἱερατικος νομος συγχωρει χειροτονεισθαι. ἀρτιον γαρ χρηναι τον ἱερα καθιςασθαι: *vt abirent, abſciſſa ſibi auricula, abite, dicit, poſt haec enim ne quidem, ſi vellem, ſacerdotalis me lex ordinari oportet. Illi digreſſi, poſteaquam intellexerunt, Iudaeis quidem haec obſeruanda eſſe; Eccleſiam vero de corpore non curare, dummodo ſacerdos integer ſit moribus, denuo redierunt, eum comprehenſuri. Tum ille iurauit, ſe linguam quoque ſibi praeſciſurum, ſi vim facere tentaſſent. Quibus minis perterriti abſceſſerunt. Hinc porro factum eſt, vt* Ammonivs *iſte Parotes, id eſt, auricula mutilus vocaretur.* Quod hiſtoriam huius Ammonii attinet, tradit laudatus Sozomenvs, illum vixiſſe in monaſterio, duce adhuc et anteſignano *Origene* iam ſenio confecto. Erat autem hoc monaſterium in provinciis Aegyptiorum ſitum, inprimis Aſcetis et Anachoretis ſacrum. Operam haud perdam, inſtitutum horum hominum et natales diligentius traditurus, quo haec opinio ſuis deſtituta liguſtris phaleriſque euadat planior.

§. XXXII.

De Inſtitutis Anachoretarum, potiſſimum autem Ammonii, *agitur.*

Quam expoſui Ammonii, ex praeiudicata Anachoretarum opinione profluxit ratio. Creuit nimirum tempeſtate, ſaeculo III. inprimis

orta,

orta, cum PAVLO THEBAEO, et S. ANTONIO, Eremitarum et Anachoretarum parentibus, quorum res et inſtituta eleganter deſcripſit Celeber. Io. ERHARD. KAPPIVS *), futilis illa perſuaſio, ſummum felicitatis et diuinioris vitae apicem, in vita ſolitaria, et a rebus agendis ſeparata, eſſe ponendum. Seceſſerunt homines rigidiori diſciplinae dediti vel in loca inculta et deſerta, vel in clauſtra a commercio aliorum remota, meditationibus ſacris conſtanter adhaerentes, exemplo Chriſti abuſi. Perſequuntur hoc Anachoretarum inſtitutum Io. PAVL. HEBENSTREITIVS **), Ven. SALOM. DEYLINGIVS ***), Ven. WALCHIVS ****), et FEL. MAR. NERINIVS *****). Noſſe vero poterant iſti homines pietatis ſtudiis paulo tenacius indulgentes non omnia, quae Chriſtus in mundo obſeruauit, nobis ad imitationem eſſe propoſita, cum ipſius exemplum multis in rebus plane diuinum ſit et ſingulare, adeoque verum, duo cum faciunt idem, non eſt idem. Ceteroquin hic AMMONIVS hac inſulſa per-

*) Diſſert. de Antonianis ſ. Fratrib. S. Antonii.

**) Diſſert. de Eremitis ſ. Anachoretis Chriſti in eremum ſecedentis exemplo minime commendatis. Ien.

***) Obſeruatt. S. Part. III. in Append. de Aſcetis. p. 543 ſeq.

****) Hiſtor. Eccleſiaſt. Sec. IV. Cap. II. §. VII. p. 1660.

*****) In Hieronymianae Familiae Vet. Monument. §. VII. p. 7. ſeq. edit. Placentiae. 1754.

perſuaſione infectus aurem potius, quin et ipſam linguam, reſcindendam ſtatuit, quam oblatam in ſeſe ſuſcipere ſpartam. Ni fallor, cum hoc AMMONIO certo modo comparandus eſt COELESTINVS V. Pontifex antea Anachoreta, qui, teſte PLATINA *), ex eremo protractus, et Pontifex conſtitutus, ſedem Romanam denuo deſeruit. Dolis enim BONIFACII VIII. Pontificis deceptus, in cubiculo audiuit vocem hominis, quam bonus et ſimplex COELESTINVS angeli eſſe temere credidit: ſi ſaluus fieri velit, deſerendam eſſe Romam, et in deſertum abeundum. At BONIFACIVS VIII. ſe ſaluum fieri credebat, ſi ad ſummam adſpiraret dignitatem. Nullus profecto Pater purpuratus, noſtra aetate, tam credulus eſt futurus, vt hiſce monitoribus obtemperet, et ſedem Romanam faſtidiat, aut eam his fidiculis deceptus deſerat.

§. XXXIII.

De eodem differitur argumento.

Reuertor ad AMMONIVM. Commouebatur tandem AMMONIVS, ex Eccleſiae Praeſulibus ad munus euocantibus percipiens, leges Moſaicas ſuo robore valoreque Nouo Teſtamento eſſe deſtitutas, nec hominem alioquin dignum, ſed auricula priuatum, a munere ſacro repellendum. Laudandus quoque eſt AMMONIVS

*) In vita Coeleſtini V. p. 466.

NIVS, illum his veſanis ceſſiſſe perſuaſionibus, et deſideriis, precibuſque vocantium dediſſe locum. Nobilis, et limata eſt, de hoc AMMONIO *Palladii* Epiſcopi Helenopolitani ſententia, quam his verbis adfert THOMASSINVS *): *Haec lex in vſu ſit apud Iudaeos, mihi autem ſi vel truncatis auribus adduxeritis virum, qui ſit bonis moribus, ego illum ordinabo.* Docet PALLADIVS, legibus Moſaicis, circa ſacerdotes corpore vitiatos, nullam amplius ineſſe vim, nec virum neceſſariis animi dotibus praeditum, et compoſitis moribus conſpicuum, a ſacris cancellis eſſe arcendum, ſi vel maxime aliqua corporis macula, et deformitate, modo illa non ſit aſpectu horrenda, laboret. Quae hactenus tractaui, documento ſunt luculento, quales, quantaſque veſana illa Anachoretarum perſuaſio pepererit in prima Eccleſia concertationes, facile tamen componendas, ſi legum Moſaicarum attentius expendas neruum, eumque Noui Foederis aetate valde imminutum. Paulo mitius de his corporis vitiis, ac maculis, in verbi diuini miniſtris obuiis ſenſerunt ſequioris aetatis Patres, Eccleſiaeque Praeſules, quorum decreta nunc ſunt diſpicienda.

§. XXXIV.

*) Vet. et Nov. Diſcipl. Eccleſiaſt. Tom. II. Part. II. Lib. I. Cap. LXXVI. §. 1. p. 507.

§. XXXIV.

Leges Eccleſiae recentioris, de corporis deformitate, adferuntur.

Pacatis aliquantiſper, ſaeculis Eccleſiae Chriſtianae ſequioribus, rebus, Epiſcopi Romani, pro ea, quam tunc temporis tuebantur, auctoritate, canones, et Conſtitutiones Apoſtolorum, de integritate corporis, ſuis confirmarunt ſuffragiis, et nouis paſſim eaſdem auxerunt decretis, quae nobis exhibet laudatus THOMASSINVS *). Hactenus variae exortae erant, de Clericis vitiis et maculis corporis conſperſis, in Eccleſia Chriſtiana contentiones, quibus canones et Conſtitutiones Apoſtolorum non omni ex parte impoſuerant ſilentium. Creuerant ex aduerſo res Chriſtianae, quibus, ex prouidentia ſummi Numinis, mollior affulſerat conditio. Rerum igitur ſuarum, ad nitidius formandam Eccleſiam, ſategerunt Praeſules, qui canones ſacros, in Clericis eligendis, arctioribus circumſcripſerunt regulis, vt Eccleſiae ſuus conſtaret honos. Pontifices inprimis ANASTASIVS I, HILARIVS, et GELASIVS, nouas circa Clericorum ordinem condiderunt leges, quae integritatem corporis certa conditione tenendam maxime attingebant. ANASTASIVS I. **), et HILARIVS

N 2 con-

*) Commemorat. Tom. II. p. 507. ſeq.

**) Platina in Vita Anaſtaſii I. p. 101. conf. Anaſtaſius in Bibliothec. in vitis Pontific. Romanor. Opp. Tom. I. p. 62. edit. Romae, cura Blanchini et Tom. I. p. 74.

conſtituerunt, ne ad ordinem ſacrum admitterentur infirmi, mutili, corrupti, et rebus ſacris tractandis prorſus impares. Laudanda eſt haecce ipſorum cura, quia, compoſitis nunc diris illis vexationibus, complures aderant viri haud indocti, et mutili, qui de ciuitate Chriſtiana bene mereri, et eidem ſuas operas adferre, poterant. GELASIVS autem Pontifex his legibus in ordinem redigendis, et ad praeſentem Eccleſiae ſtatum formandis, manum admouit, et antiquiores regulas pleniores reddidit, atque perfectiores. Recitabo GELASII *) decreta hunc in finem promulgata, quae ita fluunt: *Illiteratos quoque et nonnulla parte corporis imminutos ſine vllo reſpectu ad Eccleſiaſticum didicimus venire ſeruitium. Quod ſimul antiqua traditio, et Apoſtolicae ſedis vetus forma, non recipit, quia nec literis carens eſſe poteſt aptus officiis, et vitioſum nihil prorſus Deo offerri legalia praecepta ſanxerunt. Itaque de cetero modis omnibus haec vitentur, nec quiſquam talis ſuſcipiatur in clerum. Si qui vero vel temeritate propria, vel incuria praeſidentium, tales ante ſuſcepti ſunt, in his, quibus conſtituti ſunt, locis eatenus perſeuerent, vt nihil vnquam promotionis accipiant, ſatiſque habeant, hoc ipſum ſibi pro nimia miſeratione permiſſum. De his autem, qui ſe ipſos*

*) Harduini Act. Concilior. Tom. II. in Epiſtol. V. Papae Gelaſii ad Epiſcopos Lucaniae Cap. XVI. p. 902. conf. Anaſtaſius Bibliothec. de geſtis Gelaſii. Tom. I. p. 82.

ſe ipſos abſcindunt, paterni canones euidenter ſequenda poſuerunt, quorum tenorem ſufficiat indidiſſe. Dicunt enim talia perpetrantes, mox vt agniti fuerint, a munere clericali debere ſecludi. Quod modis omnibus cuſtodire nos conuenit, quia fas eſſe nulli ſuppeditat, quidquam praeter illa, quae memorabilis decreuit forma, cenſere.

§. XXXV.

Gelasii *decreta illuſtrantur.*

Haud incaſſum laborabo, haec Gelasii Pontificis decreta paulo liberius conſideraturus, nec non commentationibus per quam neceſſariis illuſtraturus. Redeunt autem illa ad haec inprimis rei capita. *Primum* eſt, quod, ex Apoſtolorum mandatis, illi demum rerum ſanctiorum adminiſtratores ſunt eligendi, et rebus ſacris praeficiendi, qui ſolida et neceſſaria rerum ſanctiorum in corona ſacra tractandarum notitia ſunt inſtructi. Non opus eſt, vt has dotes animi, et diuiniorum litterarum culturam futuris Eccleſiae miniſtris exercendam, ex Epiſtolis Paullinis denuo repetam, quia ſupra de hoc argumento dictum eſt. Tanto profecto maior in Eccleſia Chriſtiana bene conſtituenda circa eligendos miniſtros, doctos, modeſtos, et litterarum ſacrarum peritos, primis ſaeculis adhibenda erat cura, quanto difficilior erat ratio hominibus vel Iudaeorum, vel Gentilium, vel denique Haereticorum ſententiis male infectis ſalutarem, et firmam rerum

credendarum, et agendarum ingerendi cognitionem. Accedit, ob triſtiſſima, quae Eccleſiam Chriſtianam, hac tempeſtate, preſſerunt fata, non amplum fuiſſe illorum hominum, qui res ſacras iuſto ordine tractare poterant, numerum. Funeſta illa Eccleſiae calamitas fortiter impediuit, quo minus docti, et ſolida eruditione ornati, deprehenderentur viri, quibus Eccleſiae ſalus ſatis tuto committi potuerit. Praeter enim quam, quod hac barbara et inculta aetate rariores eſſent homines, qui ſe ſanctiori addicerent diſciplinae, deficiebant etiam rei facilius addiſcendae auxilia, ſubſidiaque. Extiterant quidem Patres ampliſſima eruditione praediti, ſed ipſa purior doctrina, nondum in certam aliquam formam, qua nunc proſtat, erat redacta, quam operam primus in ſe ſuſcepit Ioannes Damascenvs, quem alii ſecuti ſunt rerum diuiniorum commentatores. Succeſſit tamen vitio temporis, et incuria hominum, noua rerum ſacrarum barbaries *), quae Eccleſiam Chriſtianam vſque ad auſpicatiſſima emendatae Eccleſiae tempora peſſime occupavit. Nec inde mirum inter ipſos Pontifices Romanos non ſolum prioribus, ſed ſequioribus etiam, ſaeculis, tam rudes, indoctos, et ſtupi-

*) Leg. *Io. Guil. Iani* Diſput. de Barbarie medii aeui in contemtu Scripturae S. conſpicua. Witteb. et *Chriſt. Stockii* oratio: de ignorantia, quae ante, et ſub Reformationis tempus in orbe Chriſtiano fuit. Ien.

ſtupidos extitiſſe Praeſules, qui vix legere potuerint, quod de Benedicto IX. Pontifice ſaeculi XI. commemorat Platina *). Etenim hic, quem modo dixi, Pontifex, rerum ſacrarum adeo fuit ignarus, vt ne ſacris quidem, praelegendo Miſſam, defungi valuerit. Dignus profecto diui Petri ſuceeſſor! Laudo inde Gelasii inſtitutum, quo decreuit, clericos indoctos, qui ſe forte officiis ingeſſerint, ob ſacri ordinis dignitatem, ſeu, vt Romanenſes loqui amant, ob indelebilem characterem, eſſe quidem retinendos, ſed non ad altiores gradus, et illuſtriora munera, euehendos, ne res ſacra impediatur. Aequum ceteroquin erat, hos miniſtros indoctos alere, eoſdemque aliis negotiis minus diuinis praeficere. Quam conſuetudinem Romana iam obſeruat Eccleſia, et hos homines, quos Fratres Laicos appellat, ad alia negotia, in re domeſtica, obeunda, prudenter ſeligit.

§. XXXVI.

Tractatio eiuſdem argumenti ſiſtitur.

Alterum rei argumentum concernit homines aliqua corporis parte imminutos. Recte, ex ſententia Gelasii, ab officiis ſacris remouendi ſunt viri, qui, veſana caſtitatis perſuaſione, ſe ipſos euirarunt, aut alia membra deſtruxerunt, de quibus ſupra expoſui ſententiam. Nec improbandum eſt Gelasii iudicium, quo etiam

 illi,

*) In vita Benedicti IX. p. 310.

illi, qui parte aliqua corporis, eaque nobiliore, et ad partes muneris obeundi maxime neceſſaria carent, arcentur, quia, ob infirmitatem, et defectum, ſparta ſacra defungi nequeunt. Res ſacra omnino male concrederetur viro coeco, paralytico, et, manuum, vel aurium vſu deſtituto. Diſplicet tamen, laudatum Eccleſiae Romanae praeſulem legis Moſaicae adeo eſſe tenacem, vt ſcripſerit: *quia, vitioſum nihil prorſus Deo offerri, legalia praecepta ſanxerunt.* Bifrons hac in lege eſt GELASIVS, qui retro ad legum Moſaicarum in Eccleſia Chriſtiana extinctarum reſpicit rigorem. Planum eſt his ex verbis, hunc Epiſcopum Romanum ordinem ac inſtituta Sacerdotii Veteris Teſtamenti ſatis leuiter ad Noui Inſtrumenti reuocaſſe formam. Obſeruarunt autem hoc vitium CASP. ZIEGLERVS *), IVST. HENNING. BOEHMERVS **), IO. GEORG. PERTSCHIVS ***), alii. Qui vero altius ſecum reputent, pleraque Romanenſium inſtituta, eaque ſacra, cultum redolere Iudaicum, vti verboſius expoſuit ſaepe laudatus BVDDEVS ****), non magnopere mirabun-

*) Commentar. de Epiſcopis Lib. II. Cap. IV. §. XXIII. p. 338.

**) Iur. Eccleſiaſtic. Proteſtant. Lib. I. Tit. XX. de corpore vitiatis. p. 519.

***) In Originib. Iur. Eccleſiaſt. Sect. I. §. 21. p. 48. et in Hiſtor. Eccleſiaſtic. Saec. II. Cap. III. §. 15. ſeq.

****) Exercitat. Hiſtoric. de Ritibus Eccleſ. Latin.

rabuntur, Romanenſes hac quoque in parte facere cum Iudaeis. Verum eſt, viros corpore vitiatos, et partibus officiis inſeruientibus deſtitutos, a rebus ſacris ſuſcipiendis eſſe arcendos, ſed non ob leges Moſaicas iam inualidas atque extinctas, ſed ob muneris grauitatem, et prouincias in eodem ſuſtinendas. Nemo enim non videt, homines mutilos, debiles, aegre audientes, atque videntes, quin et ad contemtum deformes, ſuas officii partes non ſatis rite exſequi poſſe.

§. XXXVII.

Alia iuris Canonici, de hoc argumento, adferuntur decreta.

Preſſerunt ſequiorum temporum Pontifices, Iuris Canonici olim ſtatores, ſuorum anteceſſorum veſtigia, et ordini Clericorum variis decretis, reguliſque, de corporis integritate, rerum ſacrarum notitia, ac vitae probitate ſapienter proſpexerunt. Multis ex placitis adducam ſaltem Gregorii IX. Pontificis decretum *) hunc in modum euulgatum: *Arctius inhibemus, ne perſonas, quae in Eccleſiis tui Epiſcopatus ad curam animarum fuerint ordinandae, in*

 ipſis

tin. Iudaicis. conf. *Simonville*, Comparaiſon des Ceremonies des Iuifs, et de la diſcipline de l'Egliſe.

*) Corpus Iur. Canonic. Gregorii XIII. P. M. iuſſu editum a Petr. Pithoeo. Tom. II. Decretal. *Gregorii IX.* Lib. I. Tit. XIV. p. 37.

ipſis inſtituas, nec aliqua occaſione, vel etiam literarum noſtrarum obtentu inſtitui patiaris, quae ſcientia, moribus, et aetate Concilii non congruant inſtitutis. Attingit illa norma Galliarum Epiſcopos, et ex ſententia PITHOEI e Concilio Lateranenſi ſub ALEXANDRO III. habito eſt depromta. De corpore corruptis ſtatuunt decreta *): *Corpore vero vitiati a ſacris officiis prohibentur.* Bene tamen diſtinguunt inter illos, qui ſua culpa, et voluntate, et eos, qui caſu ſibimet ipſis attraxerunt corporis vitium. Inſiſtunt nimirum canonibus Apoſtolicis, et Concilii *Nicaeni I.* decretis. Illos, qui, praeiudicata caſtitatis opinione, ſe virilibus privarunt, ſacro ordine excludunt; non autem eos, qui morbo, aut caſu, partium verecundarum paſſi ſunt iacturam. Priorum temeritatem his verbis caſtigant **): *Qui ſe carnali vitio repugnare neſcientes abſcindunt, ad clerum peruenire non poſſunt.* Eamdem abeunt in ſententiam hocce in decreto ***): *Si quis pro aegritudine naturalia a Medicis ſecta habuerit, ſimiliter, et qui a barbaris, aut dominis ſuis fuerint caſtrati, et moribus digni fuerint viſi, hos canon admittit ad clericatus officium promoueri. Si quis autem ſanus, non per diſciplinam religionis, et abſtinentiae, ſed per abſciſſionem pſalmati a Deo corporis exiſtimans poſſe a ſe carnales concupiſcen-*

*) Tom. I. Decret. I. Pars. Diſtinct. LV. p. 76.
**) Tom. I. l. c. p. 76.
***) l. c. p. 77.

cupiſcentias amputari, caſtrauerit ſe, non eum admitti decernimus ad aliquod clericatus officium. Quodſi iam ante fuerit promotus ad clerum, prohibitus a ſuo miniſterio deponatur. Qui canon, auctore PITHOEO, ex capitulis ſynodi Hiſpanicae, ſub MARTINO Bracarenſi Epiſcopo habitae, depromtus eſt. Notum quippe eſt, tunc temporis Mauros maximam occupaſſe Hiſpaniae partem, quibus in moribus fuit poſitum, ſeruos ſuos caſtrare. Excitari adhuc meretur alius canon*), qui de eodem agit corporis vitio, haec pronuntians: *Praecepta canonum, quibus Eccleſiaſtica regitur diſciplina, ſicut ad ſacerdotium debiles corpore non patiuntur venire; ita, et ſi quis in eo fuerit conſtitutus, ac tunc fuerit ſauciatus, amittere non poteſt, quod tempore ſuae ſinceritatis accepit. Stephanus ſiquidem Presbyter petitorio nobis defleuit oblato, quod habetur in ſubditis olim ſibi ante annos plurimos collatam Presbyterii dignitatem, quam reuera immaculati corporis indicio ſuſcepiſſet; ſed nuper propter Prouinciae vaſtitatem (quam Thuſciae prae omnibus Barbarorum feritas diverſa ſectantium, et ambiguitas inuexit animorum) dum imminentes gladios euadere, fugaeque praeſidio niteretur, acutis ſudibus occurrentia ſibi ſepta tranſiliens, inferiores partes corporis inſeruiſſe ſuggeſſit, quae vix, adhibita curatione, biennio potuiſſent abſtergi. Et ideo, frater Chariſſime, ſupra dicto locum ſuum dignitatemque reſti-*

*) l. c. p. 77.

reſtitue, quatenus, ſacroſancta myſteria, ſicut conſueuit, exerceat. Neque enim conuenit, ob hoc auferri ante ſuſceptum ordinem, in quo poſtmodum in inualetudinem corporis caſu probatur faciente collapſus. Limato cum iudicio hanc ſententiam eſſe pronuntiatam ſtatuo. Ponit enim *primo* caſum, qui viro, alias meritis in coetum ſanctiorem collatis claro, infortunio accidit. Quo in caſu omnino mitiganda erat ſententia, qui vel maxime homini integro ac ſano euenire poteſt, vt, morbo affectus grauiſſimo, partes amittat verecundas. *Secundo* certo eſt certius, hoc vitium non tanti eſſe ponderis, vt rebus in Eccleſia peragendis ponat obicem. Nec crediderim, noſtrae Eccleſiae Praeſules aliam laturos eſſe ſententiam, ſi verbi diuini miniſtro hoc ipſum acciderit infortunium, quare mihi ab vberiore hunc in canonem tempero commentatione.

§. XXXVIII.

De illis, qui aliis corporis priuati ſunt partibus, diſſeritur.

Audienda adhuc eſt ſententia de illis, qui aliorum membrorum, oculi nimirum, aut digiti, caſu, iniuria, atque vi paſſi ſunt iacturam. Huncce vero in modum reſpondet STEPHANVS V, Pontifex, ROBERTO Metenſi Epiſcopo *): *Lator praeſentium Flauius ſcilicet Clericus*

*) Tom. memorat. p. 77.

cus ad ſanctam ſedem Apoſtolicam veniens, detulit a te nobis directam epiſtolam, qua indagare ſtuduiſti, eum a Normannis nuperrime captum ſiniſtrae manus digitum habere abſciſſum; ſciſcitans, ſi ob hoc ad Eccleſiaſticum ordinem valeat promoueri, annon? Quod et nos reperientes, quia ſolertia tua magis ſuper hoc ſollicita a ſede Apoſtolica doceri flagitat, normam iuſtitiae ſemper ſequi exoptans, ſtudium tuae ſanctitatis merito collaudamus, reuerentiam tuam ſcire volentes, quoniam ſi ita eſt, quod a Normannis digitum ipſum habeat abſciſſum, ad promouendum, (ſi alias dignus fuerit) nil ei nocebit; eo, quod quid de his, qui a dominis vel Medicis, ſiue a Paganis, non ſponte tale quid patiuntur, ſacri canones, dilectionem tuam latere non credimus. Porro de alio caſu ita definiunt *): *Qui partem cuiuslibet digiti ſibi ipſi volens abſcidit, hunc ad clerum canones non admittunt. Cui vero caſu aliquo contigit, dum aut operi ruſtico curam impendit, aut aliquid faciens ſe non ſponte percuſſit, hos canones praecipiunt et clericos fieri, et, ſi in clero fuerint, non abiici. In illis enim voluntas eſt iudicata, quae ſibi cauſa fuit ferrum iniicere, in iſtis vero*

*) l. c. p. 76. Obſeruat Pithoeus, hanc normam ab *Innocentio Felici Nuceriano* Epiſcopo eſſe datam. Circa verbum, *iudicata*, obſeruat alios codices legere, *indicata* eſt voluntas. Vtraque vero lectio ſe bene habet, nec impedit ſenſum. Nam res *iudicata*, ſignificat rem planam, et definitam, quae nullo adhuc indiget examine.

vero caſus veniam meruit. Nihil hoc in canone eſt, quod ſub cenſuram vocari poſſit, aut iuſtitiae tranſiliat limites. Lenis omnino ac tempeſtiua hocce in caſu definienda eſt ſententia. Nam vnius digiti in manu ſiniſtra defectus res ſacras tractandas non prorſus impedit. Vtrumque nimirum, et lotionis ſacrae, et Euchariſtiae ſacramentum dextrae manus potiſſimum requirit vſum. Si vero integra manus ſiniſtra eſſet abſciſſa, aut vitio corrupta, non eſt dubitatio, quin huius miniſtri opera in re ſacra ſit inutilis. Iuſtam autem in illos tulerunt iuris Canonici ſtatores ſententiam, qui crimine aliquo, ſuaque ipſorum culpa vitium, corporiſque ſibimet ipſis attraxerunt maculam. Commemoratione digna eſt GELASII Pontificis norma, RVFINO Epiſcopo data, de Presbytero, cui inter iurgia et verbera oculus erat erutus. Ita vero GELASIVS *) rem decidit: *Raptus*

*) Tom. cit. p. 77. Multum diſputatum eſt de communione *peregrina*, et *laica*, quia huius communionis in Conciliorum canonibus crebrior fit mentio. Paucis res expedienda eſt. *Peregrina* communio eſt, quando clericus ſacro in ordine et choro cum reliquis ſuae ſocietatis membris communicauit, ſed ipſa munera ſacra adminiſtrare ipſi non fuit datum. Poſtea fuit poena clericorum, qui ad tempus ab officio fuerunt remoti. Ita habet *Agathenſis* Concilii Can. II. apud Harduin. Act. Concil. Tom. II. p. 998. *Contumaces clerici, prout dignitatis ordo permiſerit, ab Epiſcopis corri-*

ptus eſt ad iracundiam, vt fuſte non ſolum percuteret, ſed etiam erueret oculum fratris. Et quamuis huiuſmodi exceſſus grauiori eſſet poena plectendus; bene tamen fraternitas tua fecit, ab officio eum Presbyterii remouere. Hoc tamen ſollicitudinis tuae ſit, vt locum ei poenitentiae conſtituas, et in aliquo eum monaſterio retrudas, Laica tantummodo ſibi communione conceſſa. In loco autem

corrigantur; et ſi qui prioris gradus elati ſuperbia communionem fortaſſe contemſerint, aut Eccleſiam frequentare, vel officium ſuum implere, neglexerint, peregrina eis communio tribuatur, ita, vt, cum eos poenitentia correxerit, reſcripti in matricula gradum ſuum dignitatemque recipiant. Reſpondet igitur huic diſciplinae Eccleſiaſticae poena in noſtra Eccleſia vſitata, qua miniſtri Eccleſiae, ob factum ſecus et male geſtum, ad tempus munere ſacro abſtinere iubentur. *Laica* vero communio eorum eſt, qui, ob atrocius facinus, dignitate ſua exuuntur, et in perpetuum ex albo clericorum extinguuntur. Qua poena non raro, in ciuitate noſtra, clerici afficiuntur. Legi poſſunt, de hac diſciplina Eccleſiaſtica, eiusque diuerſo genere *Io. Bona.* Rer. Liturgic. Lib. II. Cap. XIX. p. 601. *Sal. Deylingii* Obſeruatt. Miſcellan. Tom. IV. Exercitat. V. Obſeruat. VI. §. IX. et X. p. 325. ſeq. clar. *Iac. Henr. Bornii* commentat. de Communione peregrina, Vet. Clericor. cenſura. §. X. et XIV. p. 53. ſeq. Lipſiae. *Io. Faeſius* in Obelo Peregrinitati Communionis peregrinae fixus, Cap. III. p. 50. Ex his planum eſt, *Gelaſium* ſtatuere, hunc Presbyterum vitioſum prorſus ex ordine ſacro eſſe dimittendum.

autem illius alium te neceſſe eſt ordinare Presbyterum. Nam illi, cui erutus eſt oculus, non poſſunt ſecundum canones ſacerdotii iura concedi. Neque enim aliquid ei prodeſt, quod oculum invitus amiſit; iam nec volens quiſquam oculum amiſiſſe credendus eſt; nec ſacratiſſimos canones aliquem caſum, in amiſſione oculi, qui ad ſacerdotium adipiſcendum non impendiret, ſuis excepiſſe regulis inuenimus; ſed hoc tantummodo ad prohibitionem ſuffeciſſe videmus Patribus, vt, qui careret oculo, ſacerdotii officium adipiſci non poſſit. Qui hoc in decreto ponitur caſus, non miſericordia, ſed grauiori cenſura, omnino videtur dignus. Cum enim Clericus, monente diuo Paullo, non debet eſſe πληκτης ſeu percuſſor, vti ſupra adduxi, hic Presbyter inter iurgia et pugnam oculum amittens alterum, ob ſcandalum, quod coetui dederat ſacro, omnino ſuo officio et ordine in perpetuum erat priuandus. Forte haec cenſura noſtro quoque in iure Eccleſiaſtico locum haberet, ſi Clericus, dignitatis ac grauitatis ſuae oblitus, manus cum aliis confereret, et vitium corporis, ac cuiuſdam partis nobilioris pateretur defectum. Etenim hanc calamitatem non caſu fortuito, ſed ſua culpa, ſubit. Recte enim ſtatuitur, omne animi vitium tanto eſſe conſpectius in ſe, quanto maior, qui peccat, habetur. Ne igitur Clerici, officio ſuo ipſorum fulti, maiorem peccandi inde ſumant licentiam, illis, optimo iure, cenſura poſita eſt Eccleſiaſtica. Sed

reſtringo calamum ab adferendis aliis iuris Canonici decretis, quia nonnulla tantum excitanda, non autem in tam anguſtis paginis cumulanda, eſſe arbitror.

§. XXXIX.

Romanenſium ſententia, de ordine clericorum, iuxta leges Moſaicas inſtituendo, refellitur.

Contrahenda nunc ſunt hocce in argumento, vela, et meditationes ad Eccleſiae Romanae vſum transferendae. Explicanda ſunt eius inſtituta, quibus noſtro vtitur aeuo. Princeps autem quaeſtio hoc in rei capite eſt, vtrum homines rebus ſacris tractandis praeficiendi legum Moſaicarum rigore, ac norma, an potius virium, ad cultus religioſi officia praeſtanda, inopia ſint repellendi? Prius tuentur Romanenſes, poſterius autem Proteſtantes, auctoritate diuina, primae Eccleſiae conſenſione, et natura rei ac indole, fulti. Planum erit ex diſputatione iam inſtituenda, Romanenſes, in ordine Clericorum gubernando, legibus adhuc addictos eſſe Moſaicis. Refert, hanc quaeſtionem admodum nobilem et grauem diſpicere liberius. Si res, ſepoſitis partium ſtudiis, diiudicetur, neceſſe omnino habent Pontificii, vt legem antiquioris Eccleſiae defendant, quo ſuas, quas de ſacerdotio, ſeu ſacramento ordinis, fouent, eo felicius confirment ſententias. Retinendum erat ex Iudaiſmo Sacerdotum inſtitutum,

atque hic ordo a reliquorum hominum genere prorſus ſeparandus. Ita nimirum Praeſules Concilii *Tridentini* *) diſputant: *Sacrificium, et Sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta ſunt, vt vtrumque in omni lege extiterit. Cum igitur in Nouo Teſtamento, ſanctum Euchariſtiae ſacrificium viſibile, ex Domini inſtitutione Catholica Eccleſia acceperit; fateri etiam oportet, in ea nouum eſſe viſibile, et externum ſacerdotium, in quod vetus translatum eſt. Hoc autem ab eodem Domino, ſaluatore noſtro, inſtitutum eſſe, atque Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus in ſacerdotio poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi, et miniſtrandi corpus et ſanguinem; nec non peccata dimittendi, et retinendi, ſacrae literae oſtendunt, et Catholicae Eccleſiae traditio ſemper docuit.* Pergunt huius Conciliabuli Praeſides, et in canone I. ſuam, de Sacerdotio, ſententiam ita exprimunt: *Si quis dixerit, non eſſe in Nouo Teſtamento Sacerdotium viſibile, et externum, vel non eſſe poteſtatem aliquam conſecrandi, et offerendi verum corpus, et ſanguinem Domini, et peccata remittendi, ſed officium tantum, et nudum miniſterium praedicandi Euangelium, vel eos, qui non praedicant, prorſus non eſſe Sacerdotes, anathema ſit.* Confutauit autem MART. CHEMNITIVS **) hanc peruerſam Romanenſium, de Sacerdotio Noui Teſtamenti, opinionem,

*) Apud Chemnitium in Exam. Concil. Tridentini. Part. II. de Sacramento ordinis. p. 411.
**) l. c. p. 412.

nem, ita diſputans: *Si igitur hoc tantum vellent Pontificii, in Nouo Teſtamento eſſe externum Sacerdotium, hoc eſt, miniſterium verbi, et Sacramentorum, ſicut iam explicauimus, nulla eſſet controuerſia, nec propter appellationem Sacerdotii mouerentur turbae, modo res, quae verae et neceſſariae ſunt, ſaluae eſſent. Sed quid velint, et quaerant, non obſcurum eſt. Nam in primo hoc canone expreſſe dicunt, ſe per Sacerdotium, de quo dimicant, non intelligere officium, et miniſterium praedicandi euangelium, ſed in primo capitulo declarant, ſe propter ſacrificium Miſſae, de externo, et viſibili ſuo ſacerdotio pugnare, quod definiunt, principaliter eſſe poteſtatem ſacrificandi Chriſtum in Miſſa.* Bene in hac diſputatione cum Romanenſibus tenendum eſt, illos Sacerdotium Veteris Teſtamenti, cum miniſterio Noui Foederis, turpiter confundere, non expendentes, Sacerdotium antiquioris Eccleſiae fuiſſe typum Chriſti, Pontificis Maximi, eiuſdemque Sacrificii omni numero abſoluti, non autem Sacerdotii, ſeu potius miniſtrorum recentioris Eccleſiae. Proprie enim dicendo Noui Inſtrumenti aetate nullum datur Sacerdotium, ſed miniſterium verbi, et Sacramentorum. Miniſtri ciuitatis Chriſtianae nulla amplius offerunt ſacrificia, nullas Deo conſecrant oblationes, et ferta. Quodſi vero paulo arctius diſputes, id ſaltem concedendum eſt, ipſos Chriſtianos, tanquam diuinos Sacerdotes, ſacrificia, oris, ac corporis, nec

 non

non oblationes precum, atque laudum diuinarum ſummo Numini deferre, quod effata ſacra luculenter confirmant Rom. XII. 1. 15. 16. Phil. II. v. 11. Cap. IV. 18. 1 Petr. II. 5. Hebr. XIII. 15. 16. Apoc. V. 8. Cap. VIII. 3. 4. Quae ſit horum ſacrificiorum ſanctiorum atque munerum ratio, ſolidius expoſuit *Apologia* *) Auguſtanae Confeſſionis, his verbis: *Quia Sacrificia in Euangelii reuelatione ceſſare debebant, non erant vere propitiationes, cum Euangelium ideo promiſſum ſit, vt exhibeat propitiationem. Nunc reliqua ſunt ſacrificia εὐχαριστικά, quae vocantur ſacrificia laudis, praedicatio Euangelii, fides, inuocatio, gratiarum actio, confeſſio, afflictiones ſanctorum, imo omnia bona opera ſanctorum. Haec ſacrificia non ſunt ſatisfactiones pro facientibus, vel applicabiles pro aliis, quae mereantur eis, ex opere operato, remiſſionem peccatorum, ſeu reconciliationem. Fiunt enim a reconciliatis, et talia ſunt ſacrificia Noui Teſtamenti, ſicut docet* Petrus. 1 Petr. II. 5. Differunt de his Noui Teſtamenti Sacrificiis Dassovivs **), Gvil. Ovtramvs ***), Frid. Ad. Lampivs ****), ill. Moshemivs

*) Artic. XII. de Sacrificio. p. 255. ſeq.

**) Diſſert. qua adſeritur, Malach. Cap. I. v. 11. Miſſam non indicari.

***) Lib. de Sacrificiis. Cap. XII. et XIX. p. 91. ſeq.

****) Lib. de Sacrificiis Euchariſticis.

MIVS *), SAL. DEYLINGIVS **), IO. CHRIST. HARENBERGIVS ***), et IO. HENR. HOTTINGERVS ****). Non vacat huic concertationi, quam diligentius tractat Io. HENR. HEIDEGGERVS *****), vlterius inhaerere, ſed paucis tantum attingere lineis, quae ſit Pontificiorum, de Sacerdotio, ſententia omnium falſiſſima.

§. XL.

Quae commoda in hac Romanenſium opinione lateant, oſtenditur.

Paulo liberius nunc expendendum eſt Romanenſium conſilium, quo inducti, hanc legem Moſaicam retinendam eſſe, tam ſtrenue propugnant. Operae eſt pretium, has rationes, et commoda, quae ex hac tenaci regularum Moſaicarum obſeruantia profluunt, indagare penitius. *Primum,* quod inde promanat, emolumentum eſt Pontificis Romani, iuxta veterem legem, inſtauratio. Quam inſulſam perſuaſio-

O 3 nem

*) Commentar. de Reb. Chriſtianor. Sect. I. §. XXXIX. p. 128.

**) Miſcellan. S. Part. IV. Exercitat. III. p. 205.

***) Otia Gandershemenſ. Obſ. VII. de Fertis ac donis ſacris. p. 79. ſeq.

****) Miniſter. Solennis Expiat. diei, in Lucubrationibus de Sacrificiis, fertis, Libaminibus, et victimarum integritate. p. 224. ſeq.

*****) Tumuli Concil. Trident. Tom. II. ad Seſſion. XXII. Quaeſt. I. p. 118. et ad Seſſion. XXIII. Quaeſt. I. p. 354.

nem integro libello recoxit Evgen. Lombardvs *). Neſciunt profecto, ſeu, vt verius dicam, neſcire volunt, mutata iam Eccleſiae Chriſtianae, ob praeſentiam Chriſti, Pontificis optimi, Maximi, forma, hanc euanuiſſe figuram. Chriſtus nullum, ſuum poſt diſceſſum e mundo, conſtituit ſucceſſorem. Anteceſſores habuit complures, ſed ſucceſſorem in terris nullum, quia Eccleſiae ſuae tanquam caput in aeternum praeeſt. Non autem ſatis eſt, Romanenſes hocce modo antiquiorem innouare legem, ſed aliquid amplius ſub hoc nomine ac regimine latet, Papalis nempe monarchia, Eccleſiae admodum feralis, quod excellenter demonſtrauit Io. Lavnoivs **). Profluit hoc ex fonte ſumma Pontificis Romani in Imperatores, Reges, ac Principes poteſtas, eo demum extenſa, vt omnes Imperatores, auctoritate, et dignitate Pontificibus habeantur inferiores. At noſtra percultiore aetate, plerique Imperatores, ac Reges ſaniora edocti, ſuam ipſorum, aduerſus ſedem Romanam, tuentur auctoritatem, ſuoque vtuntur iure. Habeo vero duo, quae contra hanc praeiudicatam Romanenſium, de Pontifice Maximo ad modum ſummi Sacerdotis inter Iudaeos efformato, perſuaſionem, moneam capita. *Alterum* eſt,

*) Regale Sacerdotium Pontifici aſſertum.

**) Traité Hiſtorique, de l'Etabliſſement, et Prerogatives de l'Egliſe de Rome, et de ſes Eveques. a Paris.

eſt, Pontificem, conſtituta iam Republica Iudaica, non ſuſtinuiſſe nomen regis, ſed regibus omnino fuiſſe inferiorem, ita tamen, vt proximam a rege obtineret dignitatem, quod curatius tradunt Io. Spencervs *), Io. Seldenvs **), et Io. Bravnivs ***). *Alterum* eſt, quod Pontifices, poſt tempora Samuelis, inauguratis iam regibus, non res politicas, ac ciuiles, ſed ſacras tantum tractarunt atque Eccleſiaſticas. Vtroque in argumento Pontifices Romani extra limites proſiliunt, et a forma veteris Eccleſiae Iudaicae, quam tamen ſtabiliunt, recedunt longius. *Secundum* nunc explicandum eſt commodum. Pontifices hac vſi regula diſtinctum, et a reliquo hominum genere prorſus ſeparatum, conſtituunt Clericorum ordinem, quem reliquis hominibus, quos vno nomine Laicos nominant, multis praeferunt paraſangis. Quin et eo proceſſerunt leuitatis, vt Sacerdotium Sacramenti nomine inſignirent. Ceteri enim homines, ne Imperatoribus quidem exceptis, laici, et ordine Clericorum, hac ex ipſorum perſuaſione, ſunt inferiores. Prout autem hoc diſcrimen Clericis maximam conciliat auctoritatem; ita alia quoque hoc ex ordine ad clericos redundant emolumenta, in iure

*) De Leg. Hebr. Ritual. Lib. I. Cap. VII. p. 128.

**) De Succeſſ. in Pontificat. Lib. I. Cap. XIII. p. 150. ſeq.

***) De Veſtitu Sacerdot. Hebr. Lib. II. Cap. XXII. p. 643.

canonico antiquiore prolixius tradita. Poteſtas inprimis ſacra faciendi, ſacros codices legendi, eoſdemque interpretandi, qua facultate reliqui homines ad vnum omnes ita priuantur, vt ne quidem ſcriptura ſacra, et vtraque, in ſacra Euchariſtia, ſpecie frui poſſint. Succedit ſumma Pontificis Romani in omnes Clericos poteſtas, qua ex iure canonico ſuis in imperiis non gaudent Imperatores. En emolumenta haud leuidenſia ex hoc fonte profluentia, ſed a noſtris iuris canonici interpretibus, ZIEGLERO, BRVNNEMANNO, CARPZOVIO, BOEHMERO, PFAFFIO, PERTSCHIO, aliiſque haud ignoti nominis viris, ſolide diſſipata. Quodſi enim Archiepiſcopi, Epiſcopi, et Abbates iuxta normam in imperio Germanico receptam, res ciuiles, et politicas omnino moderari poſſint, cur non Imperatores, Reges et Principes, tanquam ſummi ſuis in ipſorum ditionibus Epiſcopi rebus ſacris dirigendis praeeſſe, et eodem cum Romanenſibus iure frui debeant? Certe CONSTANTINVS M. Imperator res ſacras in cultu diuino inſtituendas tractauit, et Eccleſiam Chriſtianam feliciter gubernauit, quod hiſtoria Eccleſiaſtica docet luculentius.

§. XLI.

Argumentum ſuperius nouis munitur rationibus.

Placet emolumenta Romanae Eccleſiae hacce ex obſeruantia legali profluentia explicare vberius. *Tertium* nimirum commodum eſt, vt

Roma-

Romanenſes tonſuram Clericorum, quam indelebilem appellant characterem, fortiter propugnent, et viros ſacris ſemel initiatos ſuo ordini vindicent, ac poteſtati. Monui ſupra, Sacerdotes Veteris Teſtamenti, natalibus Aronis et tribu Leui ortos, atque ſacro ritu inauguratos, ſi vel maxime aliqua poſtea corrumperentur macula, et officio tractando redderentur indigni, nihilo minus ordini ſacro fuiſſe addictos, nec dignitate ſolum, ſed et emolumentis frui debuiſſe. Eadem eſt iuris canonici in Romana Eccleſia circa Clericos norma. Qui enim ſemel ſanctum ingreſſus eſt ordinem votaque praeſtitit, tonſuramque admiſit, ſuo ordini perpetuo manet adſcriptus, atque huius vtitur regulis ac commodis. Quo in capite ius Proteſtantium Eccleſiaſticum a iure Romanenſium canonico recedit longius. Miniſtri enim ſacro ab officio vel remoti, vel illud libere deſerentes, clericorum iura amittunt, atque emolumenta. *Quarta* huius legis Moſaicae tam tenaciter a Romanenſibus defenſae ratio eſt, praeiudicata, decantataque, de Sacrificio Miſſatico, ſeu incruento, opinio. Aliud profecto, ex alio malum! Cum enim Pontificii frigidam, de Sacrificio Miſſae, defendunt perſuaſionem, neceſſe eſt, vt Sacerdotes, Sacrificia tractantes immolanteſque, ex inſtitutis Moſaicis fingant. Arbitrantur enim Romanenſes, Sacram Euchariſtiam ſacrificium eſſe incruentum, quod Sacerdotes, ex more cultus Leuitici, offerrent.

Quae Sacrificii offerendi partes, nemini, niſi Sacerdotibus, iuxta leges diuinitus datas, erant relictae. At quam inficeta, et inepta ſit haec, de Sacrificio Miſſae, perſuaſio, ſolidius expoſuerunt MARTIN. CHEMNITIVS *), IO. FECHTIVS **), IO. FR. BVDDEVS ***), et IO. HENR. HEIDEGGERVS ****), quare huic argumento a mea tractatione aliquantiſper alieno non vlterius inſiſto. Quae argumenta breuibus lineis allata, ſi nunc in circum redigas, primo ſtatim deprehendes oculo, Romanenſes grauiſſimas habere ſuum ſacerdotium, legibus Moſaicis muniendi, confirmandique cauſas, ne vel ipſa miniſterii ſacri dignitas, vel Pontificis Romani auctoritas, vel denique cultus religioſi ſanctitas veniant in diſcrimen. Vnicum, quod meam auget admirationem, in hac diſputatione, momentum eſt verſipellis Curiae Romanae, de legibus, et ſacrificiis Veteris Inſtrumenti, ſententia. Modo vrget antiquioris Eccleſiae inſtituta, modo ea negligit, et profitetur, Sacrificia euanuiſſe. Rem ſtatim confirmo formula profeſſionis a Graecis praeſtandae, ipſis ab VRBANO VIII. Pontifice Romano, auctoribus ANT. Pos-

*) Exam. Concil. Trident. Part. II. Loc. VI. p. 468.

**) Lib. de Origine, et Superſtit. Miſſar. Lib. I. Cap. IV. p. 208. et Lib. II. Cap. II. p. 786.

***) Diſſert. de Origine Miſſae Pontific. Miſcell. Syntagm. I. p. 3.

****) Tumul. Concil. Trident. Tom. II. ad Seſſ. XXII. Quaeſt. I. p. 113.

Possevino *), et Angel. Mar. Qvirinio **), his verbis praeſcripta: *Profiteor legalia Veteris Teſtamenti, ſeu Moſaicae legis caeremonias, ſacra, ſacrificia, et ſacramenta, Domino noſtro Ieſu Chriſto aduenientе, ceſſaſſe, et poſt promulgatum Euangelium, ſine peccato obſeruari non poſſe.* Si igitur deſierunt ſacrificia cruenta, ſequitur etiam, non dari ſacrificium Chriſti adhuc incruentum, quia vno ſacrificio conſummauit legem. Hebr. IX. 28. Niſi enim Chriſtus his ſacrificiis, ſuo ſacrificio omnium perfectiſſimo, attulerit finem, valida quoque hactenus erunt ſacrificia, eaque cruenta. Aptant igitur Romanenſes rotundis quadrata, et de rebus Veteris Teſtamenti ſacris, potiſſimum ſacrificiis, tam ambigue diſputant, vt dolio angueque ſint mutabiliores.

§. XLII.

Vtrum Pontifices huius legis tenaces fuerint, diſquiritur?

Conſideranti argumentum, de integritate corporis rite tenenda, penitius, exoritur dubium, vtrum etiam ipſi Pontifices hanc ſemper obſeruarint normam? Non ſermo eſt, de animi, corporiſque caſtitate. Nam nec ipſi Romanae de Pontificibus hiſtoriae conditores negant, extitiſſe Pontifices bene multos, adeo turpes, foedos, ac ſpurcos, vt praeter ſpeciem huma-

*) Bibliothec. Select. Tom. I. Lib. VI. p. 281.

**) Enchiridium Graecor. p. 123.

humanam, nihil humani, ne dum diuini, iuxta Chriſti, cuius Pro Principes eſſe volunt, exemplum, prae ſe tulerint. Diſputatio vero mea circa Pontifices vitioſos, aut ſaltem deformi corpore laborantes, occupatur. Mouit enim ſcrupulum commemoratio PLATINAE *) de SERGIO II. Pontifice his verbis tradita: *Sunt, qui Sergium primo quidem Oſporci appellatum fuiſſe dicunt, et ob turpitudinem cognomenti* Sergii *nomen ſumſiſſe, eamque conſuetudinem ad noſtros manaſſe, vt, qui Pontifices crearentur, ſuo omiſſo, maiorum nomina ſibi inderent, licet ab omnibus non ſit obſeruatum.* Optime noui, ANASTASIVM **), Bibliothecarium, et alios Scriptores hancce rem inuoluere ſilentio adſerentes ſolum, hunc Pontificem Sergio Romano eſſe natum, et ſummam in Eccleſia Romana nactum dignitatem. Praeterea bene teneo, maximam eſſe, de conſuetudine nomina mutandi apud Pontifices, diſſenſionem, nec ad liquidum deductum, qui Praeſul Romanus hunc ritum primus introduxerit. Io. PAPEBROCHIVS ***) putat, *Godofredum Viterbienſem, qui* SERGIVM II. *primo mutaſſe nomen adſerit, oppido falli; ſed primum huius conſuetudinis auctorem fuiſſe Octauianum,* qui nomine IOANNIS XII. inclaruit

*) In vita huius Pontificis. p. 249.

**) In vitis Pontific. Romanor. Tom. I. p. 347.

***) Act. Sanctor. Bolland. Tom. II. in Conatu Papebrochii Chron. Hiſtorico, de Serie Pontific. Romanor. p. 228.

ruit. *Baronius autem primum exemplum in* Sergio III. *ponit.* Si vel maxime in medio relinquam concertationem, de primo huius ritus auctore, acrius propugnatam; non tamen infirmatur Platinae teſtimonium, quo Sergivm II. *Oſporci* dictum eſſe commemorat. Quod cognomentum omnino aliquam oris deformitatem inuoluit. Certum enim eſt atque ratum, teſte Becmanno*), cognomenta hominibus tantum ob inſigniorem aliquam vel animi, vel corporis, notam ſiue malam ſiue bonam, olim eſſe data, atque hactenus dari. Cognomentum autem fuiſſe *Oſporci* inde pateſcit, quia natiuum traditur huius Pontificis nomen, a Patre Sergio receptum. Quae rationes animum inducunt, vt credam, hunc Sergivm II. Pontificem procul dubio labem in vultu habuiſſe, eamque ob rem *Oſporci* dictum. Quodſi nunc vis legis Moſaicae circa Sacerdotes integros adhuc ſuperſtes eſſe credatur, ipſis Romanenſibus prouidendum erat, vt non ſolum inferiorum ordinum Sacerdotes ſint integri, et omni vacui macula, ſed Pontifices etiam maximi integritate niteſcant ac forma bene compoſita. Videntur autem Romanenſes has ipſas, quas tamen ſtrenue defendunt, negligere regulas. Etenim Sacerdos ſummus tam deformibus inſtructus labiis, antiquioris Eccleſiae Iudaicae aetate, a ſacris erat amouendus. Cur non Pontifex Romanus ore porci admodum deformis? §. XLIII.

*) Diſſertat. de Cognomentis Principum.

§. XLIII.

Sententia, de his antiquioris Eccleſiae Chriſtianae inſtitutis, pronuntiatur.

Libere adhuc in calce huius commentationis, de inſtitutis Veteris Eccleſiae Chriſtianae, circa miniſtros ſacros vitioſo corpore adſectos pronuntianda eſt ſententia. Adſerendum eſt, canones, et decreta ſupra adducta *primo* eſſe aequa, et regulis Apoſtolorum prorſus conformia. Preſſis manibus primorum ſaeculorum Patres has tenuerunt regulas, non quidem corporis integritatem ad munus obeundum neceſſariam prorſus negligentes, attamen oculos potiſſimum ad animi dotes, doctrinam videlicet, et vitae, morumque probitatem dirigentes. Quo conſilio omnium ſapientiſſimo tam Eccleſiae commodis, quam eiuſdem decori, et nitori optime proſpexerunt. *Secundo* moneo, illas leges ad formam et ſtatum Eccleſiae bene eſſe compoſitas. Vtrumque enim in Eccleſia rite curanda, et prudenter gubernanda, neceſſarium erat. Eligendi erant ciuitatis ſacrae omnium ordinum viri rebus ſacris praeficiendi, qui viribus ad officium dextre tractandum neceſſariis eſſent inſtructi, ne muneris negligerentur partes. Prouidendum porro erat, vt miniſtri praeclaris animi donis, et copioſa rerum diuinarum notitia, eſſent praediti, de quibus verboſius egit Paullus. Vtraque virtus arctiſſimo coniungenda erat vinculo, ne res ſacra aliquid detri-

detrimenti caperet. Etenim vir nulla eruditione, et rerum diuiniorum cognitione, ornatus aeque Eccleſiae officit, ac miniſter mutilus, ac nullis viribus naturalibus inſtructus. *Tertio* de his, quas expoſuimus, regulis conſtanter adfirmandum eſt, eas inprimis ad decorum, et bonum ordinem in ſacris tenendum, plurimum facere. Nemo enim non videt, plurima inde enaſci incommoda, ſi viri vitiis, et maculis corporis laborantes, coetui ſacro obtrudantur. Labores in corona ſacra peragendi miniſtris aegris, et aduerſa valetudine conflictantibus, non ſatis tuto committuntur, quia cura animarum non raro negligitur. Grauis inſuper corporis deformitas plerumque in animis hominum gregariorum imminuit reuerentiam viris ſacris debitam, illoſque deducit in contemtum. *Quarto* demum obſeruo loco, hos antiquioris Eccleſiae Chriſtianae Praeſules legum Moſaicarum ſatis acute diiudicaſſe poteſtatem, Iudaeos tantum attinentem. Quot enim, quaeſo, incommoda inde eſſent orta, ſi has regulas adoptaſſent laudati rerum ſacrarum praefecti. Preſſo pede inſiſtendum erat normis ab Apoſtolis traditis, ne ritus caeremoniales futiliter inſtaurentur. Miſſis autem his primae ciuitatis Chriſtianae placitis, me nunc ad Eccleſiam Lutheranam confero, demonſtraturus, quam normam circa arcanorum diuinorum interpretes, eoſque vel vitio corporis laborantes, vel oppido deformes teneat. Diſpiciendum

eſt,

eſt, vtrum noſtra Eccleſia Apoſtolorum inſtitutis bene inhaereat, an vero Iudaeorum, quod facit Eccleſia Romana, addicta ſit partibus? Res ſua ſplendeſcet luce, Eccleſiam Proteſtantium, ſeu, vt arctius dicam, Lutheranam, Apoſtolorum ſequi regulas, neque vltra citraque vagari. Non inſtaurat legem caeremonialem, a Chriſto et Apoſtolis proſcriptam, ſed cultum religionis iuxta formam, a Chriſti legatis oratoribuſque traditam, bene moderatur. Hacce vſa cynoſura, nihil habet, quod regimini Eccleſiaſtico, eique, ab Apoſtolis et prima Eccleſia recepto, aduerſetur. Nulla igitur mihi eſt dubitatio, quin regiminis Eccleſiaſtici formam a noſtra Eccleſia adoptatam libere pronuntiem optimam: eam autem, quam Romana tenet Eccleſia, ancipitem, deformem, et ad leges Moſaicas maxime procliuem.

SECTIO

SECTIO TERTIA

DE

VERO, ET SOBRIO LEGVM MOSAICARVM, CIRCA MINISTROS SACROS CORPORIS MACVLIS LABORANTES, IN ECCLESIA LVTHERANA VSV

---

§. I.

Magnam eſſe Lutheranos inter, et Romanenſes, de ordine ſacro, diſſenſionem traditur.

Equidem haud luderem operam, ſi in hac, quam aggredior, tractatione demonſtrare vellem, quibus in partibus ius Eccleſiaſticum Proteſtantium, a iure canonico Romanenſium, differat, ſi articulum, de miniſterio ſacro, proxime ſpectes. Nolo vero in hoc rei caput, quod ill. WERNEHRVS, BOEHMERVS, BRVNNEMANNVS, ZIEGLERVS, PFAFFIVS, PERTSCHIVS adeuictam praeſtiterunt fidem, liberius excurrere. Dirigenda potius eſt meditatio ad noſtrum inſtitutum, et diſpiciendum diligentius, qui valor ſit harum legum Moſaicarum, de Sacerdotibus corporis vitiis commaculatis, ſancitarum in Eccleſia noſtra a ſordibus repurgata. Maxima vero Proteſtantes inter, et Romanenſes, diſſenſio, de Ordine ſeu Miniſterio ſacro, eſt enata, quae in hac commenta-

P tione

tione non eſt negligenda. Prauam enim Miniſterio apud Lutheranos ſacro inuſſerant Romanenſes maculam, temere futiliterque adſerentes, Eccleſiam Lutheranam non vero ac legitimo gaudere Miniſterio, eoque ſacro. Quae criminatio omnium peſſima, ſi ſe veritate ſuſtentaret, ipſa noſtra Eccleſia, cum religionis myſteriis, ſacramentiſque corrueret. Quibus moti rationibus noſtri Confeſſores in *Auguſtana Confeſſione* *), de Miniſterio ſacro, his verbis ſuam tradunt ſententiam: *Vt hanc fidem conſequamur, inſtitutum eſt miniſterium docendi Euangelii, et porrigendi Sacramenta.* Porro rem plenius tradunt **): *De ordine Eccleſiaſtico docent, quod nemo debeat in Eccleſia publice docere, aut ſacramenta adminiſtrare, niſi rite vocatus.* Eſt autem hic articulus admodum ſuccinctus, nec ſententiam ſibi oppoſitam habet adiectam, nec totam exhaurit, de ordine Eccleſiaſtico, doctrinam, ſed tantum eam attingit partem, quae de neceſſitate vocationis miniſtrorum agit. Traduxerant enim Pontificii Eccleſiam Lutheranam, quaſi omnia in illa tumultuarie et ſine ordine agerentur, et poteſtas publice docendi, et ſacramenta adminiſtrandi, perinde ac apud Anabaptiſtas, et huius furfuris nebulones cuiuis homuncioni, ſine munere ipſi rite demandato permitteretur. Quo igitur auguſtiſſimi Religionis Euangelico-Lutheranae teſtes

*) Artic. V. de Miniſterio Eccleſ.
**) Artic. XIV. de ordine Eccleſiaſt.

ſtes vindiceſque hanc a ſua Eccleſia auerterent, longiuſque proſcriberent, calumniam, publica confeſſione teſtati ſunt, miniſterium ſacrum ab ordine in Romana Eccleſia ſanctiore, ſi ipſam ſpectes vocationem, et rerum ſacrarum curam, ne tanti quidem differre. Concertationis cardo in eo vertitur momento, nullam dari miniſtrorum Eccleſiae vocationem, niſi eam, quae iuri canonico Romano eſſet conformis, quaeque opera Epiſcoporum, in ordinandis inaugurandiſque verbi diuini interpretibus, perficeretur. Tantum autem abeſt, vt noſtrates a Romanae Eccleſiae Epiſcopis impetrare potuerint, vt noſtram miniſtrorum ſacrorum inaugurationem validam pronuntiarent ac diuinam. Hinc illae lites. Hinc criminationes, Eccleſiam Lutheranam non habere ordinem ſacrum, ſed colluuiem hominum ad hoc munus e triviis collectorum. Hinc calumniae, ipſa Lutheranorum ſacramenta nullius eſſe auctoritatis. Stabile huius rei ſuffragium adhibet CHYTRAEVS *), qui hos clancularios Romanenſium, de miniſterio ſacro, rumores commemorat. Inſurrexerant enim Anabaptiſtae, qui promiſcuum habebant rerum ſacrarum miniſterium, illudque tumultuarium. Quam commodam occaſionem arripiebant Pontificii magna cum impudentia, diſſeminantes, Lutheranos cum his conſpirare hominibus. Quam paucis lineis noſtri Confeſſores in Auguſtana Confeſſio-

*) Hiſtoria Auguſt. Confeſſ. p. 238.

ne tradiderunt, de ordine ſacro, ſententiam, prolixius in Apologia Auguſtanae Confeſſionis his verbis inſtructam reddiderunt *): *Sacerdotium intelligunt aduerſarii non de miniſterio verbi, et ſacramentorum aliis porrigendorum, ſed intelligunt, de Sacrificio, quaſi oporteat eſſe in Nouo Teſtamento Sacerdotium ſimile Leuitico, quod pro populo ſacrificet, et mereatur aliis remiſſionem peccatorum: Nos docemus, ſacrificium Chriſti morientis in cruce ſatis fuiſſe pro peccatis totius mundi, nec indigere praeterea aliis ſacrificiis, quaſi illud non ſatis fuerit pro peccatis noſtris. Ideo iuſtificantur homines, non propter vlla reliqua ſacrificia, ſed propter illud vnum Chriſti ſacrificium, ſi credant, illo ſacrificio ſe redemtos eſſe. Ideo ſacerdotes vocantur, non ad vlla ſacrificia velut in lege pro populo facienda, vt per ea mereantur populo remiſſionem peccatorum, ſed vocantur ad docendum Euangelium, et ſacramenta porrigenda populo.* Placet horum verborum exponere neruum.

§. II.

Eccleſiam Lutheranam, ſobriam, de Miniſterio ſacro, tenere ſententiam demonſtratur.

Sobriam, limatamque, eſſe b. Confeſſorum ſententiam, de diſcrimine inter Sacerdotium Veteris Teſtamenti, et Miniſterium ſacrum Noui

*) Artic. VII. de Numero, et vſu ſacrament. p. 201.

Noui Foederis, prolatam, iam ſolidius demonſtrandum eſt. *Primo* laudati Confeſſores Sacerdotium Veteris Inſtrumenti ab ordine ſacro in Eccleſia Chriſtiana caute diſtinguunt. Res enim expedita eſt, miniſterium nouae aetatis Sacerdotium antiquioris Eccleſiae multis poſt ſe relinquere paraſangis, nec nomine Sacerdotii, in ſenſu ſtrictiori, eſſe appellandum, quod bene diiudicauit Zieglervs *): Quod diſcrimen, ſi officia, in vtroque munere obeunda, rite ſpectes, ſua radiat luce, nec vberiore indiget demonſtratione. *Secundo* moneo loco, miniſterium Eccleſiae Noui Teſtamenti legi Leuiticae minime eſſe obnoxium. Mutata enim totius cultus caeremonialis forma, ſequitur, nec ordinem in Eccleſia Sacrum his legibus amplius eſſe obſtrictum. Proinde canones ab *Alexandro Raudenſi*, de Sacerdotibus praeſcripti, quorum numerus ad XXXIII. exſurgit, fecem legis Moſaicae redolent, neque a noſtratibus, ſalua libertatis Chriſtianae auctoritate, admitti poſſunt. Quod argumentum verboſius tractat Io. Brvnnemannvs **). Inſiſtendum omnino eſt Chriſtianis libertati, in quam a iugo legis caeremonialis vindicati ſunt, teſte d. Paullo Gal. V. 1. *Tertio* obſeruandum eſt, noſtram Eccleſiam mediam elegiſſe viam, neque nimis tenacem, neque nimis remiſſam, et liberalem

 eſſe

*) Lib. de Diaconis, et Diaconiſſis. Cap. II. §. 10. p. 18. ſeq.

**) Iur. Eccleſiaſtic. Lib. I. Cap. V. p. 59. ſeq.

eſſe in eligendis, conſtituendiſque rerum ſacrarum miniſtris. Non tenax eſt integritatis perfectiſſimae, et omnibus numeris abſolutae, qualis olim in Sacerdotibus erat neceſſaria. Vidit, exiguas leueſque corporis labes, quae officium obeundum non impediunt, non tantopere eſſe aeſtimandas, vt vir, neceſſariis dotibus inſtructus, propterea de ponte ſit deiiciendus, et a miniſterio depellendus. Nec poteſt incuriae et leuitatis noſtra accuſari Eccleſia, quia hunc in vocandis voluntatis diuinae interpretibus bene tenet ordinem, vt, praeter animi facultates, quoque ad corporis reſpiciat integritatem, vtrum vir, iam ſacris initiandus, his, quae ad munus faciunt rite tractandum, corporis partibus ſit praeditus, nec ne? Porro, vtrum graui aliqua laboret corporis macula, quae ipſi contrahere poſſit contemtum, auditoribus autem mouere nauſeam.

§. III.

Argumentum vlterius diluitur.

Reſpicit *quarto* Eccleſia noſtra in deſignandis, euocandiſque miniſtris, ad ſolidam et ſufficientem rerum diuinarum notitiam. Conſtat inter omnes, munus miniſtri ſacri in docendo, et informando, coetum ipſi concreditum, nec minus in ſacramentis, ex inſtituto diuino adminiſtrandis, occupari. Poſterius officium non tam arduum eſt atque difficile, quam prius,

quod

quod in fida et firma auditorum conſiſtit inſtitutione. Quamuis autem dona externa, quae oratorem ſacrum inprimis ornant, non excludantur, prouidendum tamen eſt, vt illi, qui prouinciis ſacris praeficiendi ſunt, adprime rerum ſanctiorum diſciplinarum ſint gnari, quo ſuis ciuibus purioris doctrinae capita, plane, diſtincte, et facile ingerere poſſint. Quae publica et priuata homines Chriſtianos informandi ratio, nec ſolum in prima Eccleſia Patriarchali, ac poſtea Hebraea, ſed in Chriſtiana etiam ciuitate obtinuit locum. Feliciter hac inſtitutione creuerunt Chriſtianorum res. Etenim conſtituti erant viri, qui priuatos inter parietes Chriſtianos bene formabant, qui vno nomine Catechetae appellabantur. Aderant porro lectores, diaconi, Presbyterique, qui in corona publica lectiones ſacras declamandas moderabantur, et orationes ſacras e ſuggeſtu recitabant. Vtrumque officium modicas corporis, maiores autem animi, requirebat vires. Eam autem, antiquiore Eccleſiae Chriſtianae aetate, fuiſſe rationem cultum tractandi publicum, teſtes ſunt Iᴠsᴛɪɴᴠs Mᴀʀᴛʏʀ, et Tᴇʀᴛᴠʟʟɪᴀɴᴠs, omni exceptione maiores. Quem excitaui, Iᴠsᴛɪɴᴠs Mᴀʀᴛʏʀ *), ad Aɴᴛᴏɴɪɴᴠᴍ Pɪᴠᴍ, Imperatorem, ita ſcribit: *Die, qui ſolis dicitur, omnes, qui in agris vel vrbibus morantur, vnum in locum conueniunt, et commentaria Apoſtolorum, et Prophetarum ſcripta,*

P 4 *quoad*

*) Apolog. II. p. m. 98.

quoad tempus fert, leguntur. Deinde vbi is, qui legit, deſtitit, is, qui praeeſt, admonet, et hortatur, vt ea, quae lecta ſunt, bona imitemur. Addere placet Tertvlliani *) teſtimonium. *Cogimur*, inquit, *ad literarum diuinarum commemorationem, ſi quid praeſentium temporum qualitas aut praemonere cogit, aut recognoſcere; certe fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam praeceptorum nihilominus inculcationibus denſamus: ibidem etiam exhortationes, et cenſura diuina.* Preſſo pede hoc inſtitutum ſecuti ſunt ſequiorum ſaeculorum Patres, quorum modum res ſacras tractandi, et homines Chriſtianis doctrinis bene imbuendi, diligentius commemorat Bernh. Ferrarivs **). Res nunc in luce verſatur, hanc publice docendi rationem egregie doctos, et in doctrina puriore oppido exercitatos, poſtulare viros. Parum hic faciunt corporis vires, eaeque praeſtantiſſimae; maioris autem vtilitatis, nec non neceſſitatis, ſunt animi dotes, quae in re ſacra facienda, corpore tantum, veluti inſtrumento aliquo vtuntur. Non tamen inficior, virium corporis quoque rationem eſſe habendam. Vtraque, et animi, et corporis, virtus in Eccleſiae miniſtro diſpicienda eſt. Nam neque homo rudis et ſtupidus, ſi vel maxime corporis gaudeat dotibus, res ſa-

cras

*) Apologetic. Cap. XXXIX. p. 709.

**) De Ritu Sacr. Eccleſ. Vet. Concion. Lib. I. Cap. XV. et XVI. p. 66. ſeq.

cras tractare, neque homo alioquin excellenter doctus, ſed corpore prorſus inualido affectus, officii ſacri partes peragere poterit.

§. IV.

Tractatio eiuſdem argumenti ſiſtitur.

Si nunc ab his, quae animi indolem tangunt, receſſeris dotibus, bene etiam ac ſapienter noſtra Eccleſia, *quinto* vitae integritatem, et morum probitatem in miniſtris ſanctioris cultus indagat. Non vacat ea, quae memoratos miniſtros ornant, repetere vitae, manſuetudinis, modeſtiae, grauitatis, et prudentiae decora, quia illa ex epiſtolis Paullinis ſupra excitauimus. *Sexto* demum loco, monendum eſt, Eccleſiae noſtrae Praeſules non neglexiſſe corporis vitia ab homine ſacris initiando remouenda. Non adeo rerum negligentes fuerunt iuris Eccleſiaſtici conditores, et ciuitatis Chriſtianae praeſides, vt nullam prorſus habuerint corporis atque formae externae rationem, optime gnari, has maculas admodum enormes auditoribus valde eſſe moleſtas, quin et miniſtri ſacri imminuere auctoritatem, et ipſas non raro impedire partes in munere ſuſtinendas. Tria vero potiſſimum corporis vitia integritati opponunt viri in rebus Eccleſiaſticis verſati, e quibus nomine Boehmervm *). *Primum* eſt debilitas, ſiue illa in toto corpore, ſiue in aliqua tantum

P 5 parte,

*) Iur. Eccleſiaſt. Proteſtant. Lib. I. Tit. XX. p. 519. ſeq.

parte, ad ſacra tractanda neceſſaria, deprehendatur. *Secundum* eſt mutilatio, quae defectum alicuius membri inuoluit. *Tertium* eſt deformitas, quae in graui aliqua externa conſiſtit macula. Quodſi nunc haec corporis vitia in homine, qui vel prouinciam ambit ſacram, vel ea iam defungitur, contempleris attentius, facile cognoſces, quae inprimis maculae, quique defectus illum hac dignitate priuare, et qui, ex aduerſo in illo, ex noſtrae Eccleſiae diſciplina tolerari poſſint. Paulo vero diſtinctius, de his tribus naeuis modo excitatis, erit diſputandum.

§. V.

Examinatur corporis debilitas in miniſtro ſacro eligendo.

Conſideraturus tria, quae commemoraui, corporis vitia, *primo* in cenſum venit debilitas ſeu infirmitas, quae eſt vel *totalis*, quae totum occupat corpus, vel *partialis*, quae membrum aliquod ad res diuinas agendas reddit ineptum. Si *totalis* appareat in corpore imbecillitas, viro eadem conflictanti munus non tradi poterit. Quod autem in vniuerſum corporis attinet infirmitatem, tenendum eſt, non omnem imbecillitatem ita eſſe comparatam, vt hominem a prouincia ſacra ambienda arcere poſſit. Luculentum huius valetudinis minus firmae, ac proſperae, ſe in Sanctiſſimo Timotheo, Eccleſiae Epheſinae praeſule, offert exemplum, de quo ſcri-

ſcribit Paullus: *noli amplius vti aquae potu, ſed modico vini, propter tuum ſtomachum, et tuas crebriores infirmitates.* 1 Tim. V. 23. *). Nemo

*) Placet huic oraculo Paullino aliquam affundere lucem. Circa verba: *μηκετι ὑδροποτει* monendum eſt, quod *Lamb. Bos* in Ellipſ. Graec. Lingu. p. 376. ſubintelligit, voculam, *μονον*. Sic itaque, hac ex interpretatione, Timotheus non prorſus ab aquae potu reuocatur, ſed admonetur, vt modicum vini aquae admiſceat, qui potus populis Orientalibus fuit maxime vſitatus. Vti videre eſt, apud *Xenophontem* in Cyropaedia Lib. VI. p. 128. *Herodotum* Lib. I. p. 32. et *Raphelium*, in Annotatt. Herodot. p. 579. Succedunt verba: ἀλλ' οἴνῳ ὀλίγῳ χρῶ. Diſſentiunt aliquantiſper Critici, de horum verborum ſenſu. Alii, de modico vini, alii vero, de leni atque generoſo vino, hanc interpretantur formulam. *Trillerus* in Obſeruatt. ad h. l. multis argumentis confirmat, hanc dicendi rationem, de vino leni ac generoſo, quod ſanitati prodeſt, eſſe intelligendam. Legi quoque poteſt *Turnebus* in Antiquitt. Graec. Tom. IX. p. 519. ſeq. apud *Gronouium* de vſu, et abuſu vini pluribus differens verbis. Autumo, omnino accidiſſe, vt Timotheus plus nimium temperantiae ac frugalitati, ipſi a Paullo crebrius demandatae, indulgens, corporis exhauſerit vires, ſibique valetudinem attraxerit aduerſam. Proinde Timotheo Paullus iam auctor eſt, ſuaſorque, vt potu aquae vino leni temperato valetudini conſulat, ne tam tenaci vſus temperantia, potuque viliori corpus efficiat prorſus enerue, illudque emaciatum ad officium

mo temere ſibi perſuaſerit, Timotheum tam infirmo praeditum fuiſſe corpore, et tam adverſae obnoxium valetudini, vt, ad munus ſacrum obeundum, minus eſſet compoſitus. Etenim hac ratione Paullum in tam longinquis, ac difficillimis, itineribus neque comitari, neque tradita ipſi prouincia defungi potuiſſet hic integerrimus Paulli commilito. Si enim vitam, atque res geſtas, Timothei, a WITSIO *) congeſtas, contempleris ſtudioſius, videbis, illum multum laboris, ac ſudoris in huius Apoſtoli familiaritate, et itineribus tuliſſe, et omnes calamitates cum eodem ſubiiſſe. Largior tamen lubens, hocce ex effato colligi poſſe, Timotheum naturam in tribuendis corporis dotibus habuiſſe minus fautricem, ſed corporis eumdem laboraſſe imbecillitate, quae tamen non tanta fuit, vt labores in officio ſuſcipiendos, expediendoſque, minus ſuſtinere potuerit. Non enim veritati eſt ſimile, Paullum, hunc egregium virum, tam illuſtri arduoque praefeciſſe muneri, niſi prius eius exploraſſet corporis vires.

cium gerendum reddat ineptum. Intererat enim Eccleſiae Epheſinae, vt hic illuſtris doctor ſartus conſeruaretur ac tectus. Planum exinde eſſe arbitror, non totali corporis infirmitate laboraſſe Timotheum, ſed partiali, potiſſimum e ſtomacho oriunda. Curandum itaque erat hoc male concoctionis et digeſtionis in ſtomacho vitium.

*) Miſcellan. S. Tom. II. de Vita S. Timothei. p. 557. ſeq.

res. Ceteroquin non omnis debilitas viros in re gerenda impedit, ſed ea tantum, quae et animi et corporis virtutes penitus proſternit, conſumit, exhaurit.

§. VI.

Tractatio, de partiali corporis debilitate, protrahitur longius.

Nondum hic ſubſiſtit calamus, quia argumentum, de corporis infirmitate, introſpiciendum eſt penitius. Verum eſt, ſi totum corpus grauioribus morbis, quales ſunt, epilepſia, paralyſis, tabes lenta, oculorum coecitas, ſurditas, alii, ſit corruptum, omnem ceſſare muneris tractandi rationem. Satius igitur eſt, hos homines arcere a miniſterio, quam illos admittere, et onerare parochiam. Si vero, de vno, alteroue, membro ſermo eſt, diſpiciendum erit, vtrum illius membri imbecillitas tam periculoſa ſit ac nociua, vt miniſtrum ſacrum officii partes agentem prorſus impediat. Quod ſi vero *totalem* corporis negligam debilitatem, quam omnes iuris Eccleſiaſtici conditores pro legitima miniſterium ſacrum fugiendi cauſa admittunt; certum eſt, *partialem* quoque dari corporis humani imbecillitatem, quae homines ab officiis ſacris capeſſendis quam maxime repellit. Iuſto igitur opus eſt examine, ne vir aliquo corporis membro grauiter laborans, vel rectum membrorum vſum ſimulans, ſe temere ingerat, et parochianis deinceps conciliet onus.

Quem

Quem in cenſum, mea ſententia, veniunt I. viri tabe adeo iam infecti, vt vires exhauſtae neque valetudinem perpetuam recuperandam neque rectum officii perficiendi permittant vſum. Periculoſae aleae res eſt, hominibus tabeſcentibus ſpartam tradere ſacram, quia plura hunc morbum comitantur incommoda, rebus agendis noxia; qualia ſunt vox plerumque debilis, crebrior tuſſis, et continua quaſi imbecillitas, viriumque defectus. Nemo proinde non dixerit, hos homines ad declamationes, in ampla potiſſimum aede ſacra, eſſe valde inertes, coetuique ſacro moleſtos. Succedunt. II. homines gibboſi, et incuruati. Non vrgeo, illos deformitate inſigni laborare, et adſpectu eſſe deplorandos, ſed adhaeret inſuper his viris plerumque virium debilitas, vox impedita, et aliae difficultates cum hac partium corporis ſtructura male efformata arctiſſimo iunctae vinculo. Nomino III. homines morbo caduco per interualla corruptos. Eſto, hos viros epilepſia non adeo eſſe infectos, vt crebrius eadem opprimantur, dubia tamen illorum ſors eſt. Nam metuendum eſt, ne ille augeatur in dies morbus, vel iſti motus epileptici illos medios inter labores ſacros adoriantur, et triſte auditoribus praebeant ſpectaculum. Adduco. IV. homines, qui graue oculorum vitium omnis medelae expers ſuſtinent. Quam neceſſarius verbi diuini miniſtris ſit oculorum vſus, inter omnes facile conſtat. Si igitur luculenta in his viris

adſint

adſint coecitatis indicia, conſultius erit, eos a ſacro arcere munere, quam coetum onerare ſacrum. Nec. V. praetermittendi ſunt homines curuis ac tremulis inſtructi manibus. Etenim manuum opera in infantibus ſacra aqua luſtrandis, ac ſanctis Euchariſtiae ſymbolis conſecrandis ac exhibendis, maxime eſt neceſſaria. Manuum requiritur virtus ad ſuſtinendos in ſacra lotione infantes, et ſacrae coenae adminiſtratione, ne hoſtiae prolabantur, aut calix conſecratus decidat. Non approbarem illorum miniſtrorum inſtitutum, quo, ob morbum aliquem, ſacra ſymbola conuiuii ſalutaris ſociis opera cuſtodum vſi porrigunt. Maxime eſt credibile, complures eſſe viros, qui exinde ſibimet ipſis mouere poſſint ſcrupulum, atque de huius ſacramenti dubitare integritate. Commemorandi ſunt VI. homines, nimis tarda, rauca, et balbutiente lingua loborantes, qui ad faciendas declamationes minus apti ſunt. Hocce nomine Moſes legationem ipſi a Deo demandatam declinabat. Exod. IV. 10. *). Quae dixi, vitia,

ſi

*) Moſem balbutientem, et impeditam, habuiſſe linguam, ex loco ſupra memorato conſtat. Verba vero: *mi Domine; ex eo tempore, quo tu cum ſeruo Tuo locutus es, non diſertus fui; difficilem enim habeo ſermonem, et linguam impeditam.* v. 10, non indicant, Moſem hoc vitium a commercio cum Deo demum recepiſſe. Rectius ſtatuitur, ab adoleſcentia fuiſſe balbutientem. Diſplicent prorſus Rabbino-

rum

ſi in tarditate, vel etiam balbutie, ponas, auditoribus valde ſunt ingrata, et ipſis facile movent nauſeam. Non raro accidit, vt illi, qui non poſſunt intelligi, etiam non audiantur. Euaneſcit proinde miniſterii ſacri finis. Nec ſicco pede praetereo VII. homines, vel vna manu, vel altero pede, deſtitutos. Si enim caſu acciderit, vt vir hanc corporis amittat partem, res eſt in confeſſo, illum officii partes minime ſubire poſſe. Porro VIII. a miniſterio ſacro abigendi ſunt, qui melancholiae per interualla obnoxii ſunt, quorum ratio ſemper dubia eſt atque anceps. Obuia quoque ſunt in iure canonico horum exempla hominum, qui ex improuiſo, in melancholiam prolapſi, vel ſibimet ipſis vim intulerunt, vel res ſacras praepoſtere, in ſcandalum auditorum, peregerunt. Reſcindenda vero eſt in miniſtris Eccleſiae omnis cauſa, quae contemtum ſecum fert, et in ſcandalum abire poteſt. Addo IX. homines difficili auditu laborantes, quorum vitium res impedit ſacras. Si vero vel maxime conceſſerim, hos viros altera ſaltem aure eſſe ſurdos, ambiguum tamen eſt et periculoſum, quia confeſſiones audiendae, et alia negotia, quae perfectum requirunt audi-

rum ſomnia, quibus dicunt, hoc vitium Moſi a pruna eſſe contractum, quam pro margarita elegiſſet, quia hoc ſelectu eſſet definiendum, vtrum vitae an morti foret addicendus. Legantur aliae ſententiae apud *Auguſtin. Calmetum*: Opp. Commentar. Tom. I. p. 324.

auditum, perficienda ſunt. Recenſui paucis lineis in vniuerſum inſigniores tantum corporis maculas, omiſſis illis, quae leuioris ſunt ponderis, et quae aliquo modo in verbi diuini praecone tolerari poſſunt, quales ferte erunt, ſi vno careret digito; ſi cicatricem, caſu et non culpa factam, haberet in vultu; ſi altero pede vteretur claudo; ſi aliquantiſper eſſet gibboſus, et qui ſunt alii huius nominis naeui, qui officii partibus nulla iniiciunt impedimenta. Mitigant enim Iuris Eccleſiaſtici conditores apud Proteſtantes has maculas, nec corporis integritatem ad ſummam rectitudinis exigunt regulam, animi dotes, et neceſſariorum membrorum vſum inprimis poſtulantes.

§. VII.

Tractatio, de corporis infirmitate, aliis munitur teſtimoniis.

Ne vero res mea tantum ſtet ſententia, argumentum, de *partiali* corporis infirmitate hactenus propoſitum, auctoritate iuris canonici adhuc eſt muniendum. Diligentius de hoc rei capite diſputant CONR. DANNHAVERVS *) et BRVNNEMANNVS **), ſtatuentes, penitius explorandum eſſe, vtrum illud corporis vitium ſit ἄσκοπον, membrumque ita male diſpo-

*) Theolog. Caſuiſtic. Quaeſt. I.

**) Iur. Eccleſiaſtic. Lib. I. Cap. V. p. 59.

diſpoſitum, vt hominem, ad finem miniſterii rite obtinendum, prorſus faciat ineptum, an vero rei gerendae minus officiat? Prior defectus hominem a ſtatione ſacra iam capeſſenda omnino excludit, non autem poſterior naeuus. Temerarium certe ac inconſultum eſſet, viris priore vitiorum ac morborum genere adfectis ſacram concedere prouinciam, quia hocce ex fonte multa profluunt incommoda, iam non commemoranda. Satis eſt, dicere, hoc miniſtro rem ſacram magis impediri, quam promoueri, atque augeri. Quodſi enim vir, ſanctiore diſciplina alias dextre imbutus, graui laboraret infirmitate, aut partis cuiuſdam vitio, bene omnino agit, ac ſuae conſcientiae ſapienter conſulit, ſi non ambiat officium, quia non commodis Eccleſiae inſeruire, ſed tantum emolumentis clericorum frui, videtur. Quin et ipſa Eccleſia Romana, de miniſtris integris et ſanis conſtituendis, quam maxime eſt ſollicita. Placet, ex Eccleſiae *Mediolanenſis* *) inſtitutis, ab Archiepiſcopo, et pâtre quondam purpurato, CAROLO BORROMAEO conditis nouum adducere rei teſtimonium, de corpore vitiatis ab ordine ſacro arcendis. Regula ita fluit: *Diligentiam Epiſcopus adhibeat, ne fraude, vel dolo, quiſpiam ſacrae ordinationi ſeſe ingerat. Impedimento irretiti hi ſunt: Minores natu. Sacramento chriſ-*

*) Acta Mediolanenſis Eccleſiae. Tom. I. Part. I. Concil. Prouincial. IV. p. 121. edit. Patauii. MDCCLIV.

chriſmatis non confirmati. Rudes, et ignari. Ebrietati, et gulae dediti. Impudici. Corpore vitiati. Inſigniter deformes. Eadem diſciplina poſtea in Concilio huius Eccleſiae, Prouinciali Primo, in canone, de examine et inquiſitione in promouendis ad Eccleſias traditur *): *Diſpiciendum eſt, an aliquo vitio, vel inſigni deformitate corporis, et in qua parte laboret. An comitiali morbo tentetur.* Dignae adhuc ſunt, quae adducantur, Inſtructiones Cancellariae, Eccleſiae *Mediolanenſis* **), de his corporis vitiis hunc in modum diſſerentes: *Remouendus eſt, ſi notabilis deformitas, defectuſue reſpectu viſus, auditus, loquelae, gibbi, claudicationis, mutilationis, membrorum, tumoris in gutture, cicatricis, vel alterius ſigni in facie. Si aliqua inualitudine inſanabili, vel diuturna, ſtatiſue temporibus illum vexante laboret; vt pectoris, ſtomachi, capitis, leprae, morbi caduci, paralyſis, malincoliae,* etc. Hiſce hominibus viam ad officium ſacrum occludunt leges Mediolanenſes. Pleraque corporis vitia, his in decretis notata, ita omnino ſunt comparata, vt in Eccleſia Proteſtantium locum quoque obtineant. Excipiendi forte erunt, noſtro ex iure Eccleſiaſtico, homines, qui leuem aliquam maculam, aut cicatricem in vultu habent: praeſertim ſi res plana eſt, illam labem non temeritate, aut vitio, eſſe contractam, ſed natiuam. Indagandum erit

 porro,

*) Laudat. Act. Part. I. p. 13.
**) Act. Mediolanenſ. Tom. I. Part. IV. p. 600.

porro, vtrum illa macula, aut cicatrix, inſigniorem huic viro attrahat deformitatem, nec ne?

§. VIII.

De eodem diſſeritur argumento.

Nolo iam inquirere, annon nimio rigore his in vitiis perluſtrandis vtatur Eccleſia Romana, antiquioris legis ſtudioſa; id tamen in luce eſt, Eccleſiam Lutheranam rerum ſuarum, hoc in rei capite, non eſſe negligentem. Res enim ex conſtitutionibus noſtris ſacris eſt explorata ſatis atque expedita, homines, officia ambientes, ſed vitiatos ad munera ſacra non eſſe admittendos, quia corporis vitia, quibus laborant, maxima negotiis obeundis iniiciunt impedimenta, et ipſos deducunt in contemtum. Ceſſat enim finis hominis ad miniſterium vocati, totumque ipſius officium redditur irritum. Qua in ſententia ſuffragium mihi exhibent Io. Gerhardvs *), Dedekennvs **), Chemnitivs ***), alii. Examen omnino in hac corporis infirmitate eſt inſtituendum, vtrum illa perpetua, et omnis medelae ſit neſcia? an vero breui temporis interuallo tranſitura, qualis datur in hominibus, chiragra, podagra, et aliis morbis conflictantibus. Prout autem viri hac perpetua valetudine et imbecillitate infecti ſparta

*) LL. Theologic. Tom. VI. Cap. I. p. 195.

**) Conſilior. Theologic. Vol. I. Part. III. p. 208.

***) Inſtructio futuri Miniſtri Eccleſ. Cap. I. p. 6.

ſparta excidunt ſacra; ita eadem ſors manet viros, iam diu in officiis conſtitutos, verſatoſque, qui quidem non dignitate et emolumentis priuantur, attamen ipſis adiunguntur ſocii, qui illorum in ſe ſuſcipiunt labores. Quae enim his a miniſtris, corporis maculis vitiiſque obnoxiis, exſpectari poterit, in adminiſtranda prouincia ſacra, ſollicitudo, qui labor quaeri, quod officium praeſtari? Nec idonei ſunt ad orationes ſacras declamandas, nec ad ſacramenta dextre adminiſtranda. Nihil aequius eſſe poteſt ac iuſtius hoc conſilio, quo Eccleſiae miniſtris ad res agendas minus compoſitis adiunguntur alii viri, qui illorum ſubleuent inopiam, ne res ſacra aliquid detrimenti capiat.

§. IX.

Vtrum Eccleſiae miniſtri debiles ac infirmi prorſus remouendi ſint, diſquiritur?

Hactenus de miniſtris Eccleſiae, imbecillitate et vitio corporis laborantibus, eligendis conſtituendiſque diſputatum eſt. Excutienda nunc eſt quaeſtio, quid de viris, rebus ſacris iam praefectis, ſed in corporis infirmitates prolapſis, ſtatuendum ſit ac definiendum? Enata eſt inter iuris canonici et Theologiae Caſuiſticae interpretes diſputatio, vtrum miniſtri Eccleſiae, debilitate corporis aut infirmitate quarundam partium affecti, a re, in munere gerenda, amouendi, an potius ipſis quaedam officii par-

tes ſint committendae? Boehmervs *) et Dannhavervs **) in eo conſentiunt, miniſtros graui aliqua imbecillitate laborantes quidem ab operis difficilioribus, et validum membrorum vſum requirentibus, eſſe arcendos, interim tamen a confeſſionibus audiendis, inſtitutionibus Catecheticis, aliiſque negotiis levioribus non penitus remouendos. Non detraho huic ſententiae calculum, praeſertim ſi vires his operis faciundis adhuc ſufficiant, nec ſimul deformitatem, et horrorem aliquem, ſecum ferant. Pone vero, arcanorum diuinorum praeconem vel paralyſi corruptum, vel ſurditate aurium, vel coecitate oculorum, laborantem, vel denique dextro manuum vſu deſtitutum, tunc credideris, illum partibus in munere obeundis rite defungi poſſe? Vſus horum membrorum minus rectus et validus maximum iniiciet obſtaculum, quo minus orationes ſacras recitare, confeſſiones hominum cum Deo in gratiam redeuntium audire, et ſacroſancta ſacramenta adminiſtrare valeat. Eſto, ſuperſtitem eſſe aliquem oculorum viſum, ſed admodum tenebricoſum, aut reliquum aliquem manuum valorem, turbantur nihilominus, ſi recte ſentio, auditorum meditationes tam triſti huius viri aſpectu, et geſtibus ad rem praeſentem minime compoſitis. Vix centeſimus hominum tam ſobrio et pio eſt animo, vt non a piis, quibus in-

*) l. c. § III. p. 520.
**) Theolog. Caſuiſtic. Quaeſt. I.

indulgendum erat, cogitationibus vel reuocetur penitus, vel ſaltem leuiter offendatur. Accedit, hos corporis defectus plerumque comitem habere deformitatem aliquam, quae ab hominibus gregariis, et rebus externis paulo liberius deditis, ſatis difficulter concoquitur. Periculum omnino eſt, ne plerique actus ſumma animi pietate celebrandi reddantur profani. Vidit hos naeuos, eoſdemque acute diiudicauit, laudatus BRVNNEMANNVS*), quem adiiſſe non poenitebit. Conſultius igitur eſt, rerum ſacrarum moderatores, his vitiis morbiſque contaminatos, a rebus tractandis amouere, et illis de honeſtis proſpicere alimentis, quam actus ſacros impedire, et periculis committere.

§. X.

Argumentum diligentius excutitur.

Quodſi vero quaeſtio eſſet, vtrum officio ſacro admouendus, inſigniore corporis vitio, eoque officium impediente, affectus, ad prouinciam ſacram ſit amandandus? circumſpecte eſt reſpondendum. Meam quod attinet ſententiam, ego haud reticeo, me a diſſentientium ſtare partibus. Vix crediderim, homini tabe iam confecto, aegre audienti, aut loquenti, vel alio morbo corrupto, ſacri officii partes eſſe demandandas, licet alias optimis dotibus ſit inſtructus. Tam neceſſaria in miniſtro Eccle-

*) Tractat. de Iure Senſuum. Cap. II. §. 27. ſeq.

ſiae haec ſunt corporis membra, eorundemque vſus validus, ac firmus, vt, ſi ſecus agatur, coetui ſacro, non leuidenſe attrahatur periculum, ſi non detrimentum. Nec tibi crediderim, ſi excipias μογιλαλον quidem, ſed non aegre loquentem, a ſacris cancellis eſſe arcendum. Offendit, me iudice, hoc vitium auditores, laedit illorum aures, impedit denique illorum auditum, vt miſeri iſti homines multo indoctiores e templo egrediantur, quam acceſſerant. Quomodo enim Chriſtianae doctrinae capita percipere poterunt, quum, praeter aliquem ſonum rudem, nihil audiunt? Optime hoc perſpexerunt Iuris Eccleſiaſtici Saxonici conditores *), decernentes, parochianis miniſtros nimis leni, et intellectu difficili, voce praeditos non eſſe obtrudendos. Res omni fide maior eſt, in miniſtris ſacris eligendis, externorum quoque ſenſuum, et virium naturalium, habendam eſſe rationem, ne finis miniſterii ſacri turpiter eludatur, euertatur, perdatur.

§. XI.

Explicantur inſigniores corporis defectus.

Quae regula ac norma in iure Eccleſiaſtico, de corpore mutilo, manco, aut aliqua parte cor-

*) Vid. *Carpzouii* Iuriſprudent. Conſiſtorialis. Lib. I. Tit. III. Definit. XXVII. p. 35. *Andr. Beyerii* Addition. ad Iuriſprudentiam Eccleſiaſtic. Carpzouii. Lib. I. Definit. XXVII. p. 21.

corrupto, ſit poſita, *ſecundo* nunc loco eruendum eſt. Duo vero memorato auctore Boehmero *) in cenſum veniunt momenta, hocce in exemplo conſideranda. *Primum* eſt, vtrum aliquis caſu fortuito, aut propria culpa, ex leuitate animi, ſibimet ipſi hoc corporis attraxerit vitium? Putauerim autem, hic loci ſermonem eſſe, de viris iamiam officiis ſacris admotis, non vero dignitate adhuc augendis. Priores enim, ob iacturam partis cuiuſdam, vel culpa, vel caſu factam, nihilominus clericorum fruuntur emolumentis, non autem poſteriores, qui ſine ſcandalo et damno Eccleſiae vocari nequeunt. Pone, aliquem verbi diuini interpretem delirio, aut alio morbo huic ſimili affectum, vel digitum, vel ſibi manum abſcidiſſe, vel oculo ſe priuaſſe, vel ſibi grauem maculam inuſiſſe, certe ille, valetudini redditus, alendus, alius autem, qui eius vices ſuſcipiat, eidem erit adiungendus, quoniam, ex canonibus Eccleſiaſticis ſupra allatis, miſeratione dignus eſt habendus. Secus vero ſe res habet cum illis, qui mutilo, quod habent, corpore officia ambiunt ſacra, qui mea ſententia ſunt arcendi, ne rebus in officio agendis imponatur impedimentum, et parochiani inutili et manco onerentur miniſtro. *Alterum* argumentum in corpore mutilo ac deſtructo expendendum eſt, vtrum ille defectus corporis vel in futuro Eccleſiae miniſtro, vel in eo, qui iam officio fungitur, talis tantuſque ſit,

*) l. c. §. III. p. 520.

vt rem ſacram impediat, nec ne? Huc referunt omnes Canoniſtae, quos excitat Boehmervs *), Corvinvs, Passerinvs, alii, illos, qui vel oculo, eoque ſiniſtro, quem canonicum vocant, vel manu, aut digito ad ſymbolorum ſacrorum conſecrationem neceſſario, carent, nec minus claudos, qui prorſus incedere non poſſunt, vel pedem etiam ligneum habentes. Mitigant tamen alii hunc iuris Eccleſiaſtici rigorem, dum vno tantum pede claudos, vel vno oculo aut digito deſtitutos, hac dignitate ſacra haud priuandos eſſe arbitrantur. Circumſpecte tamen agendum eſt, et paulo curatius examinanda ſunt haec corporis vitia in homine, iam ad prouinciam ſacram euocando, ne Eccleſiae attrahatur damnum. Verum eſt, hominem altero pede claudicantem, vel uno oculo aut digito deſtitutum, officii ſui partes, ſi declamationes ſacras, confeſſiones audiendas, et ſacramenta adminiſtranda ſpectes, nihilominus defungi poſſe, nec hanc labem ita eſſe comparatam, vt vel auctoritati ipſius detrahat, vel auditores fortiter offendat, id tamen explorandum eſt, ne hocce corporis vitium iam tenax et inueteratum in morbum ac infirmitatem degeneret, ac virum ad res ſacras tractandas efficiat ineptum. Alia vero eſt ratio, ſi miniſtro Eccleſiae hoc accidert infortunium.

§. XII.

*) loc. cit.

§. XII.

Tractatio huius diſputationis latius extenditur.

Diſputant Io. Gerhardvs *), et ſaepe memoratus Brvnnemannvs **) de viro monoculo, vtrum ille ad officium ſacrum ſit vocandus, nec ne? Gerhardvs mitiorem de illo fert ſententiam, adſerendo: *nos non obligatos eſſe ad ſeueritatem horum canonum; praeſtare enim, miniſtrum carere oculo vno, quam Eccleſiam idoneo miniſtro.* Sed cum acumine reponit Brvnnemannvs; *hos canones non velle, quod in caſu illo, vbi idoneus reperitur nullus, mutilatus, vel inſigni, ac in oculos incurrente, vitio laborans vocari non poſſit, ſed quando alius idoneus haberi poteſt, praeferendus.* Rem procul dubio longius extendit Gerhardvs, et caſum aliquem fingit, qui noſtro aeuo, quo ampliſſima eſt futuri miniſterii ſeges, non facile accidere poteſt. Arduis primae Eccleſiae Chriſtianae rebus, et barbaris aliquantiſper emendatae per b. Lutherum Eccleſiae temporibus, magna fuit miniſtrorum ſacrorum penuria, ita quidem, vt non raro viri aliqua corporis macula laborantes, ſed, pro iſtorum temporum conditione, docti, et in declamationibus ſanctioribus verſati, officiis eſſent praeficiendi, ſed noſtra aetas, beneficio diuino, tam foecunda eſt ac fertilis, vt ingens ſit numerus illorum, qui ſe ſtudiis diuinis dederunt,

*) De Miniſtr. Eccleſiae. §. 187.

**) Iur. Eccleſiaſt. Lib. I. Cap. V. §. XII. p. 59.

runt, quique ſe dignos, quibus munera ſacra committantur, aſſidua rerum ſacrarum cultura, effecerunt. Totum, ſi recte ſentio, negotium noſtro aeuo ad Eccleſiae redit patronos, vtrum hos viros corporis vitiis affectos ad ſtationem ſacram euocare velint, nec ne? Dubia profectio res eſt, homines, gibboſos, coecutientes, et maxime deformes ſeligere, et eoſdem parochianis obtrudere, quum proſtent viri aeque docti, ac corpore integro gaudentes. Periculum enim eſt, ne, ſucceſſu temporis, hi defectus euadant difficiliores omniſque medelae impatientes, et hos miniſtros ad ſacra facienda reddant prorſus ineptos, quo facto, vel commoda Eccleſiae impediuntur, vel alia enaſcentur incommoda. Satius cum his hominibus, grauioribus naeuis vitiiſque corporis obnoxiis, agitur, ſi illis prouincia in ſcholis demandetur obeunda, qua opera eadem fere emolumenta Eccleſiae praeſtare poſſunt. Obſtant mihi rationes haud frigidae, quibus adductus cenſeam, his viris, grauiter deformibus et mutilatis, minus tuto munus ſacrum eſſe tradendum. *Prima* eſt, grauis deformitas, quae non raro parit deſpectum, turpitudinemque. *Altera* eſt, infirmitas, quae his hominibus plerumque adhaeret. Minus apti mihi videntur iſti viri ad negotia in re ſacra peragenda, potiſſimum, ſi orationes ſpectes recitandas. *Tertia* eſt, periculum, ne haec corporis vitia in grauiorem atque diuturnum degenerent morbum. Quodſi

ſi

ſi fiat, ſequitur *quarta* ratio, quae in onere et incommodo Eccleſiae eſt ponenda. Nam vel cura muneris negligitur, vel laborum ſocius ſtatim eligendus eſt, quo ex fonte non raro multa promanant incommoda, querelae, atque diſſidia. *Quinta* demum cauſa eſt, hos homines nihil aliud agere, quam, vt honeſtam ſtationem, et emolumenta ad vitam tranquille tolerandam neceſſaria, recipiant, et ex aduerſo parochiam onerent. Sic itaque ſibimet ipſis ſatis bene, parochianis autem peſſime, conſulunt. Lubens tamen concedo, aliter rem eſſe inſtituendam, ſi miniſter Eccleſiae iam conſtitutus, et officio ſuo hactenus functus, hocce morbo corrumpatur, aut aliquam patiatur deformitatem. Tunc ſua manet in ſtatione, nec ſuis auditoribus, quibus ſuam fidem, pietatem, et induſtriam probauit, erit moleſtus, aut ingratus, ſi caſu vnius oculi fecerit iacturam, vel aliam ſuſtinuerit maculam.

§. XIII.

De corporis deformitate in miniſtro Eccleſiae diſſeritur.

Reliquum eſt *tertium* corporis vitium, in enormi deformitate ſitum, quod iam ſub examen eſt vocandum. Deformitate, quae futurum coetus ſanctioris moderatorem a ſuſcipiendis dignitatibus, ambiendoque munere, excludit, tam inſignem intelligimus corporis naevum, qui ſcandalum, horrorem, et contem-

tum

tum excitare poteſt. Non leuis corporis, aut vnius ſaltem partis, deformitas hominem a munere ſacro capeſſendo arcet, ſed ea, quae tanta eſt, vt etiam hominum laedat oculos, faſtidiumque moueat. Non raro ſanctioribus diſciplinis ſe emancipant homines, pygmaeis ſeu puſionibus ſimiles, gibboſi, claudi, aut aliam natiuam in vultu offerentes labem immunditiemque. Mitius cum his hominibus, alioquin bene doctis et modeſtis, iura agunt Eccleſiaſtica, nec eos, niſi grauior acceſſerit cauſa, facile repellunt. Repellendos autem optimo iure ſtatuunt eos, qui adeo deformes ſunt, et maculis contemerati, vt auditoribus aſpectu ſint horrendi, nec non riſui; ac contemtui aliorum forte expoſiti. Finge aethiopem, doctrinis Chriſtianis bene innutritum, et doctum, parochianis praefici. Nonne iſte miniſter, inſolenti forma praeditus, ciuibus ipſius curae concreditis moueret nauſeam, aliorum autem ſe exponeret opprobrio? Aut finge miniſtrum naſo deſtitutum, aut horrendis maculis in vultu conſperſum? Equidem non ignoro, extitiſſe in miniſterio ſacro aethiopes, et viros aliis vitiliginibus in vultu deformes, ſed vtrum bene agatur, ſi ſexum potiſſimum ſequiorem, qui ex imaginatione facile vitium capere poterit, ſpectes, iam decidere nolo. Verendum omnino eſt, ne iſti homines, oppido deformes, iuſtam auditoribus conquerendi, infrunitis autem hominibus, ob hoc inſolens ſpectaculum, ſub-

ſubſannandi praebeant occaſionem. Quae cavillandi cauſa, ſi in tempore reſcindatur, bene omnino ac ſapienter agent Eccleſiae Chriſtianae praeſules. Eam quoque opinionem tuetur Io. GERHARDVS *) ita diſputans: *Quamuis Eccleſia Noui Teſtamenti non praeciſe ad legem illam Leuiticam ſit alligata, tamen ἐυσχημοσυνης ergo, quantum fieri poteſt, tales miniſtri ſunt eligendi, qui ob defectum aliquem corporis non ſint aliis contemtui.* Accedit ad hanc ſententiam ſaepe excitatus BOEHMERVS **) his verbis: *Pontificii magnopere iudaizant, poſtquam verum ſacerdotium miniſtris Eccleſiae tribuunt, quod merito reprobant Eccleſiae Proteſtantium, et miſeram hanc diligentiam primitiuae Eccleſiae reſpuunt. Interim ratio της ἐυσχημοσυνης, et officiorum ſacrorum, poſtulat, ne tales admittantur, qui vitio vſum miniſterii ſacri prorſus impediente laborant, vel ob quod aliis contemtui et irriſioni eſſe queunt.* Habenda omnino eſt decori, quod miniſtrum Eccleſiae ornat, ratio, in ciuitatibus potiſſimum amplis, et cultiorum hominum confluxu illuſtribus, ne totum miniſterium vilipendatur, et deducatur in deſpectum. Non obſtant primae Eccleſiae Chriſtianae exempla, in *Didymo* Alexandrino Patriarcha coeco, et *Paphnutio* vno oculo priuato, conſpicua. Haecce vulnera et cicatrices veritatis Chriſtianae confeſſorum erant Eccle-

ſiae

*) De Miniſtr. Eccleſ. §. 187.
**) l. c. §. IV. p. 520.

ſiae caſtioris decora, et horum teſtium ornamenta. Vtrum autem decori et ornamento cedat Eccleſiae, vexationum procellis, auſpiciis diuinis, ereptae, cultus ſacri moderatores alere deformes, mutilos, corruptoſque, illi, quos penes auctoritas ac vis rem definiendi eſt, decidant.

§. XIV.

Plus in miniſtro Eccleſiae valere animi indolem, quam corporis formam, exponitur.

Satis pro inſtituti ratione, de corporis integritate in miniſtris Eccleſiae neceſſaria, hactenus egimus, maximoque cum veritatis firmamento adſeruimus, leges Moſaicas hocce in argumento, iuſtis rationibus in ciuitate Chriſtiana, eſſe temperatas. Certi enim ſumus, neque auctoritati ſummi Numinis, neque rei Chriſtianae hoc temperamento ſatis tempeſtiuo, vllum illatum eſſe detrimentum, ſed praeſtitum emolumentum oppido amplum. Praeſtat, Eccleſiam habere rerum ſacrarum miniſtros, doctos, modeſtos, fidos, qui docendo, et mores hominum ad imaginem Chriſti belle formando, bene merentur, quam viros, integro et formoſo corpore praeditos, ſed diſciplinarum ſanctiorum expertes. Verum quidem eſt, plebem forma miniſtri Eccleſiae externa, pulcritudine, ſtatura, voce, et geſtibus moueri, regique, ſed ſi haec reſpiciantur, in eligendis rerum ſanctiorum interpretibus, corporis

poris decora, vereor, ne Dauus a vulgo iudicetur dignus, cui ſacra demandetur prouincia. Si plebi admodum rudi, et rebus tantum externis intentae inhiantique, libera ſanctiores miniſtros eligendi detur facultas, periculum eſt, ne res aeque infeliciter procedat, ac in Concilio *Baſilienſi*, de quo illuſtre quidem, ſed valde ridiculum, exemplum ex Chronico Monaſterii S. Michaelis apud Hildeſios his verbis narrat P. Magnoaldvs Ziegelbavervs *) vita paucis ab hinc annis defunctus: *Baſilienſi Concilio Anno MCCCCXXXVII. interfuit Theodoricus Brickmann, praedicti monaſterii Abbas, vir inſcius, et ignarus, habens ſecum viae comitem Capellanum S. Lamberti, et in miniſterio. Cum autem idem Abbas Theodoricus eſſet vir egregius, et regalis perſonae, electus eſt ab aliis Praelatis pro Miſſa, de Spiritu Sancto cantanda, pro inchoatione Concilii, quod et fecit. Cui cum ſolenniter ſe expediuiſſet, ſuſpicatus eſt quidam de Cardinalibus, eum eſſe forte doctorem Theologiae, vel decretorum, cupiens frui alloquio. Cum autem alloqueretur per Cardinalem, nihil reſpondere poterat, quia inſcius fuit, non intelligens latina. Dixit ergo praefatus Abbas ad Capellanum ſuum materna lingua: quid iam reſpondebo ſibi, ne confundar? Cui Capellanus reſpon-*

*) Hiſtoria Rei Literariae Ordinis S. Benedicti. Part. I. Cap. I. Saecul. XV. pag. 79. edit. MDCCLIV.

reſpondit: nominetis aliqua caſtra, aut villas circa Hildesheim, quas cum nominaueritis, putabit vos eſſe Graecum, et ceſſabit a vobis. Qui ſtatim reſpondit Cardinali: Sturwolt; Haſſe, Giſſen, Vorrſche, Bovenſtede, Driſſen, Stede, Izen. Quod audiens Cardinalis dixit ad Capellanum ſuum: Eſt Graecus? Qui reſpondit: Etiam honorande Domine. Et receſſit ab eo. Dixit autem Abbas ad Capellanum ſuum: Et quid reſpondebo in Concilio? Qui reſpondit: Cum interrogatus fueritis, dicatis Praeſidenti verba iſta: Ego ſto cum iſtis; quidquid ipſis videtur, placet et mihi. Qui oblitus verborum Capellani ſui reſpondit: Sto cum hic. Et concitati ſunt ad riſum Praelati circumſedentes; ipſe cum confuſione recedebat. Inſperſi hanc rem admodum iocoſam, et duro ſermonis genere prolatam, nullo alio fine, ſeriis, his in commentationibus tractandis, quam, vt demonſtrem, homines gregarios facultate, de internis animi dotibus, in miniſtris Eccleſiae obuiis, ferendi iudicium, minime eſſe inſtructos. Eo proinde maior rerum ſacrarum Praeſidibus danda eſt cura, vt Eccleſia viris doctis, atque piis augeatur, et animarum promoueatur ſalus.

§. XV.

Dignitas Miniſtri Eccleſiae ſuccincte commendatur.

Re nunc ad vmbilicum deducta, paucis adhuc lineis dignitas, qua niteſcere decet virum

rebus

rebus ſacris praeficiendum commemoranda eſt ac commendanda. *Primum* iure ſuo ſibi vindicat locum ſolida rerum, in ſuggeſtu publico et priuatis inſtitutionibus tractandarum diuiniorum, notitia, quo ſuis partibus vel in doctrina proponenda, vel eadem ſtrenue defendenda, bene defungi poſſit. Quam legem Ius Eccleſiaſticum *Saxonicum* *) ſerio inculcat. Toto profecto errant coelo, qui mediocrem ſapientiae tam diuinae, quam humanae, ſibimet ipſis ſufficere opinantur, partem, de pane lucrando, et vita ſuſtinenda magis, quam, de ciuitatis Chriſtianae commodis nunc promouendis, ſolliciti. Augenda potius ſunt oratione atque meditatione dona ipſis concredita, non vero cum ignavo illo ſeruo infodienda, Matth. XXV. 24. ſeq. Excitanda ſunt naturae et gratiae dona, et veluti ſcintillae afflatu excitandae, quorſum reſpicit Paullus: *ἀναμιμνήσκω σε ἀναζωπυρεῖν*; *moneo* te, vt excites *dona*. 2 Tim. I. 6. Deplorandum omnino eſt, complures ſanctiorum diſciplinarum cultores, praeiudicata prorſus opinione, eam ſtudiorum tractandorum ingredi rationem, vt in limine ſubſiſtendum, et ſuperficiariam aliquam, eamque ſatis modicam, notitiam acquirendam eſſe leuiter arbitrentur. Sed hi fere ſunt, qui non eo conſilio litterarum ſa-

*) Leg. *Carpzouii* Iuriſprudent. Conſiſtorial. Lib. I. Tit. V. Defin. LIX. p. 73. conf. *Beyeri* Addition. ad Carpzouii Definit. Lib. I. Defin. LIX. p. 36.

crarum ſuſcipiunt culturam, vt ſalutem Eccleſiae, hominumque, ſed ſua inprimis commoda promoueant. Neſciunt profecto, ſtudium Theologicum multa iam auctum eſſe difficultate, et ampliſſima tam diuinarum, quam humanarum rerum, notitia inſtructum. Satis vero habent iſti homines, ſi valeant orationes, ex aliorum penu maxima cum impudentia recitare. Curtam ceteroquin habent ſupellectilem, vt, praeter nomen, nihil eruditi poſſideant. At quam turpe eſt doctori, ſeu miniſtro ſacro, res diuinas, quas ipſe ignorat, et non bene concoquit, aliis in ſuggeſtu proponere. Ipſe haeret dubius ac anceps in doctrinis fidei, et morum praeceptis, et tamen illa aliis inculcat, tanquam veritates omni fide maiores. Eleganter de hoc argumento diſputat Cicero *). *Quid tam temerarium, tamque indignum ſapientis grauitate, atque conſtantia, quam aut falſum ſentire, aut, quod non ſatis explorate perceptum ſit, et cognitum, ſine vlla dubitatione defendere.* Si vero mitius cum his leuis armaturae militibus agerem, ipſiſque largirer, illorum operam ſaltem plebi rudi fore ſalutarem, repono tamen eoſdem in mala verſari cauſa, dum ſe inermes, et ſubſidiis ad res ſacras obeundas neceſſariis minus inſtructos, ſiſtunt, et munus poſtea perfunctorie, et tumultuarie more mercenariorum, tractant. *Secundum* occupat locum, vitae, morumque probitas, quae omnem, quantum humana permittit

*) Lib. I. de Natura Deorum.

tit ratio, excludit maculam temere aſperſam, quam vix Albis aliquando abluet. Vt enim omittam, conſcientiam cauterio adfectam, contemeratamque, multum adferre incommodi, certum etiam eſt, rem occulte commiſſam tandem proditurам eſſe in lucem, et confidentiae miniſtro ſacro a ciuibus adhibendae multum detrahere, ipſiuſque imminuere dignitatem. Rara certe ſunt exempla hominum, qui cum *Conſtantino M.*, Imperatore optimo, clericorum naeuos purpura et velamine obtegant, vt eoſdem potius, odio, neſcio, quo inueterato, et in hos morum cenſores turpiter concepto, libera detegant manu. Proſpexit etiam huic innocentiae, a miniſtris ſanctioribus ſtudioſius excolendae, Ius Eccleſiaſticum *Saxonicum**). Ornat *tertio*, ſi externam contempleris conditionem, oratorem ſacrum forma honeſta, humanitatis ac manſuetudinis plena, atque ad declamationes dextre recitandas belle compoſita. Eadem omnino expers ſit grauiorum corporis defectuum, ac deformitatum inſigniorum, ne vel res ſacrae tractandae impediantur, vel ſtimuletur faſtidium. Auget *quarto* hanc interpretis ſacri praeſtantiam, ſerium Dei gloriam, et hominum ipſius fidei traditorum ſalutem, promouendi ſtudium, quod nullas auerſatur moleſtias, nullos veretur hominum infrunitorum rumores, nulla denique ti-

*) *Carpzouii* Iuriſprudent. Conſiſtor. Lib. I. Tit. V. Defin. LXI. p. 75. conf. *Beyerii* Addit. Lib. I. Defin. LXI. et II. p. 38.

met pericula in munere ſubeunda. *Quinto* tenendum eſt, non leuem aliquam corporis maculam, aut imbecillitatem, verbi diuini miniſtro, in vitio crimineque eſſe ponendam, ſi inſigniores illum ornent animi dotes. Profecto non habent auditores, quod in tali tantoque viro iure reprehendant. Nec ipſe orator ſacer habet cauſam, de viribus ſuis, atque emolumentis in ſuos auditores conferendis, deſperandi. Reliquae animi dignitates ipſi pluris ſunto, quam egregia in alio viro, eoque indocto et inerti, corporis forma. Memor eſto tam ſui officii, quam virtutis diuinitus promiſſae: *mea virtus in infirmis potens eſt.* 2 Corinth. XII. 9. Omne ceteroquin ferunt punctum S. Chrysostomi *) verba, quibus has virtutes Eccleſiae miniſtris oppido dignas depraedicat, coronidis loco excitanda: Ἐι γαρ ὁι τας των πολεων ἀρχας πιστευθεντας ὁτ' ἀν μη συνετοι και λιαν ὀξεις τυγχανωσιν ὀντες, κ. τ. λ. *Nam ſi ii, quibus ciuitatum magiſtratus concrediti ſunt, niſi admodum prudentes ac vigilantes fuerint, ſaepe rempublicam, ſe ipſoſque ſimul in perniciem dederunt; qui Chriſti ſponſam ornandam ſuſcipit, quanta tibi videtur poteſtate indigere tum ſua, tum ſuperne data, tueri, vt non peccet.* Adeo praeclara ac digna ſunt haec Chrysostomi verba, quae ſanctiorum diſciplinarum interpretes intimis animi infigant medullis, ne Chriſti ſponſam, caſtam atque integram, deformem reddant ac contemeratam. Sed peroranda eſt meditatio, amandandique ſunt diuinae ſapientiae cultores, et futuri aliquando arcanorum diuinorum praecones ad Zieglerum **) ſaepius laudatum, qui de his praeſtantiis diſſerit plenius.

§. XVI.

*) Opp. Tom. I. de Sacerdotio Lib. III. p. 385.

**) Lib. memorat. de Epiſcopis. Lib. II. Cap. IV. p. 325. ſeq.

§. XVI.

Finis commentationibus imponitur.

Subſiſteret hic calamus, niſi vna, quae primam Chriſtianorum ciuitatem male vexauit, calamitas adhuc eſſet commemoranda. Eo enim tempore, quo halcyonia Eccleſiae affulſerunt Chriſtianae, omnem malus genius intendebat neruum, vt excitatis in ordine ſacro diſſidiis, modo e faſtu, modo ex haereſibus, modo denique ex vita quorundam turpi exortis, reipublicae ſanctiori adferret detrimenta. Vt autem de his haereſibus intra ſinum Eccleſiae ſanctioris exortis taceam, non leuidenſes excitarunt turbas viri honoribus in ciuitate Chriſtiana ſuſtinendis, et emolumentis percipiendis, deperdito ſtudio inuigilantes, ſed nullis propemodum inſtructi dotibus. Alliciebant illos noui honorum tituli, nec non emolumenta, vt, omnibus vſi fidiculis, ſe his muneribus turpiter ingererent, ceteroquin parum ſolliciti eſſent de Eccleſiae ſalute. In calce itaque huius tractationis, ex hac calamitatum ſentina haec inprimis adducenda eſt querimonia, de nonnullis Eccleſiae Epiſcopis a Gregorio Nazianzeno aliquando prolata. Prouidendum eſt, ne illud vitium iterum in Eccleſiam prorumpat, quod his verbis tradit Gregorius *): *Cum nec Medici, nec pictoris nomen quiſquam obtineat, niſi prius morborum naturas conſiderauerit, aut multos colores miſcuerit, variaſque formas penicillo expreſſerit; antiſtes contra facile inuenitur non elaboratus, ſed recens ad dignitatem ſimul ſatus, et editus, quemadmodum Poetae gigantes finxerunt. Vno die ſanctos fingimus, eosque ſapientes et eruditos eſſe iubemus, qui nihil didicerunt, nec ad Sacerdotium quicquam prius attulerunt, praeter velle.* Commemorat laudatus Eccleſiae Prae-

*) Opp. Tom. I. Oratio XX. Funebris in laudem S. Baſilii. M. p. m. 123.

Praeſul his verbis cedro dignis nefarium, deteſtandumque, quod ſuo aeuo optimam alias familiae Chriſtianae faciem turpiter corrupit, vitium. Eo enim temeritatis prolapſos eſſe teſtatur GREGORIVS cultus diuini moderatores, rerumque ſacrarum interpretes, vt ſuperbia, faſtuque inflati, cothurnum ſibimet ipſis adaptarint, muneraque appetiuerint ſuſtinenda, quibus non reſponderunt ipſorum vires. Hinc turbae! Hinc molitiones clandeſtinae! Hinc iurgia rei Chriſtianae valde minacia, ac noxia. Deplorandum eſt, eamdem querelam, de faſtu, et rerum humanarum ſtudiis, in plerisque Eccleſiae Chriſtianae Epiſcopis conſpicuis, decantatam eſſe a S. AVGVSTINO **): *Alii ſunt, qui propterea tenent paſtorales cathedras, vt Chriſti gregibus conſulant; alii vero, qui propterea in eis ſedent, vt ſuis honoribus temporalibus et commodis ſecularibus gaudeant.* Vtinam haec attentius legerent, priusque ſecum habitarent viri munera ſacra capeſſentes, forte dignitates in Eccleſia gerendas non illotis arriperent manibus. Auertat Deus, ne hoc vitium poſtliminio reuocetur. Faxit autem Summum Praepotenſque Numen, vt Chriſti in terris familiae nunquam deſint viri, qui, ſepoſitis rerum humanarum ſtudiis, commodisque omnibus poſthabitis, gregem ſanctiorem, et ſanguine Chriſti auſpicatiſſime redemtum, exemplo huius ſanctiſſimi Epiſcopi excitati integerrima fide paſcant, ſapienti conſilio regant; eumque aduerſus hoſtium impetus protegant fortiter ac muniant!

**) Opp. Tom. II. Epiſtol. CCVIII. p. 589. edit. Benedict.

P. 21 *l.* 15 *et* 18 *lege iuuencam. p.* 29 *l.* 18 *proſpicere. p.* 162 *l.* 7 *conſpicuis. p.* 176 *l.* 20 *nullus.*

LIPSIAE, EX OFFICINA LOEPERIANA.

XVI B 14

ANT 1.316. P48

7563

Digitized by Google